ORATIONES

ELLOGIA INSCRIPTIONES

ANTONII ANGELINI

E SOCIETATE IESU

ORATIONES

STUDIIS AUSPICANDIS HABITAE

COMMENTARIUS EPISTOLAE ELLOGIA

INSCRIPTIONES

ANTONII ANGELINI

E SOCIETATE IESU

EDITIO ALTERA RETRACTATIOR ET AUCTIOR

ROMAE

EX OFFICINA LIBRARIA CAIETANI A. BERTINELLI.

1857.

HAEC STUDIA ADVERSIS REBUS PERFUGIUM AC SOLATIUM PRAEBENT.

Cic. pro Archia.

GERMANIS SUAVISSIMIS

CAMILLO EQ. ANGELINI-ROTA

ET NICOLAO SOD. SOC. JESU

ANTONIUS FRATER

Qui libros aliis nuncupant, officio saepe, amore perraro ducuntur. Nec est, cur id vitio ipsis vertatur. Multis enim nominibus consilium hoc ineunt: quae nisi adessent, stilo parcerent. Quam longissime vero haec aut nota, aut notae suspicio a me absit, nostis pulcherrime: cum quo sim animo adversus utrumque vestrum comparatus, vos non praetereat. Nullo enim tempore intermissa, nullis intercepta offensionibus, pluribus ultro citroque meritis alta, gaudii dolorumque communionibus constituta nobiscum una a teneris ad hanc in qua sumus aetate, adolevit arctissima necessitudo, qua natura perinde ac animis continemur. Optime enim de nobis meriti parentes, quorum virtutes spectatissimas nulla nostris ex animis abradet oblivio, nostris perpetuo auribus instillare, nostris insculpere mentibus non destitere: nihil in vita optatius, nihil ad aerumnarum molem levandam accomodatius, quam fraternis animis iungi, fraterno fulciri praesidio, fratremque in fratris amore conquiescere: quam

voluntatum compagem si quis dissuerit aut solverit; nae is solem e mundo tollit. Nec taciti praeteribant, quanti laboris foret, hanc animorum consensionem alere et tueri, causasque quae eam labefactant submovere.

Itaque ut benevolentiae, qua utrumque vestrum Camille et Nicolae amplector, signum prae me feram, tenuiculo vos hoc munere munerabor; quod quotiescumque vobis in manus incidet, toties mei memoriam refricet, vosque amoris nostri mutui commoneat.

Cum enim decrevissem in vulgus edere orationes, quas studiis auspicandis habui, ut voluminis moles succresceret, quaedam e forulis et pluteis decusso pulvere eduxi, ne a blattis tineisque semesa interciderent: scribere enim in aqua mihi viderer nisi ea litteris proderem.

Quocirca hanc opellam crasso filo et rudi intextam subtegmine vobis sisto germani suavissimi, oratione tenui, scriptura levi: in qua sin minus ingenium et latini sermonis, qui intermortuus hac tempestate senescit, dignitatem, fratris tamen benevolentissimi animum inspicietis. Valete.

LIBER PRIMUS.

ORATIONES COMMENTARIUS
EPISTOLAE ELLOGIA

EXCUTIENDINE SINT E PUERORUM MANIBUS GRAECI LATINIQUE AUREAE AETATIS SCRIPTORES, UTPOTE QUI CHRISTI DISCIPLINAE EXSORTES.

ORATIO

HABITA IN COLLEGIO ROMANO IN STUDIORUM INTEGRATIONE IDIBUS DECEMBRIBUS AN. MDCCCLIV.

Decimus conditur annus, patres cardinales amplissimi, praesules lectissimi, optimae notae adolescentes, viri quotquot adestis spectatissimi, quo ex hac exedra studiis rite auspicandis proludens, florentique aetati probe instituendae prospiciens, bellum scriptoribus pudori rectaeque fidei labem obducentibus intuli, eosque non e scholarum modo septis, verum etiam nostris e finibus procul amandandos edixi. Hodierna vero die eodem animo, eodemque efferor studio ad causam litterarum, quae penitissimis compagibus, arctaque necessitudine cum religione continetur, asserendam, inque tuto locandam; ne adolescens aetas per devia et invia, perque confragosos anfractus exlex oberret, sed recta ad laudatarum artium fastigium enitens expectationem, quam suo concitavit ingenio, expleat ac tueatur. Id enimvero orator spectare, in id nervos intendere, hoc mente agitare, hoc amplecti cogitatione debet; ut ex efflorescente argumentorum segete, iis

dimissis, quibus nihil insit frugis, ea legat, eaque in adspectum lucemque edat, ex quorum cognitione in hominum coetus, in probos mores, inque rem christianam quam commodissimae opportunitates proficiscantur. Hac mente oblatam apud vos dicendi provinciam non invitus arripiens, ad quaestionem proxime superioribus annis agitatam, necdum plane diremptam accedo: qua in causa agitur litterarum salus, agitur religionis decus et praesidium, aguntur rationes et instituta maiorum. Quaenam ea lis est? In controversiam venit, excutiendine sint e puerorum manibus, proculque a litterariis ludis exigendi graeci latinique aureae aetatis scriptores, quippe qui Christi religionis exsortes. Lis sane salebris obsita, aleaeque periculosae plena, incredibili animorum conflictione et quasi concursu ultro citroque exercita, omnem in partem qua scriptis qua sermone excussa, hinc adserta illinc oppugnata. Quam profecto, ut vera fatear, integram permisissem, neque a primo quidem limine salutassem, nisi de adolescentium, qui nostris in curis nostroque in amore conquiescunt, institutione quam cumulate merendi spes me una fulciret. Ut autem in tanta opinionum dimicatione et scopulorum syrtes et euripos et brevia et vada caeca, in quae abripi aestu obtrudique potest, oratio enaviget, secundisque flatibus feratur, fax quaedam caelestis alte praeferenda est, quae incubantem mentibus caliginem discutiens, innubemque diem reducens commonstret, quo provehendum sit, quove prora torquenda, qua circumflectendus cursus, quave praeterlabendum, quando velis pandendae quando contrahendae alae, quae maris ora legenda, quo in portu sit considendum. Hanc vero facem abstrusiora quaeque lustrantem una nobis attollit veritatis

custos et magistra, artium optimarum sospita et praeses, altrix ingeniorum, fallere et labi nescia ecclesia: cuius mentem siquis erit liquido assequutus, iure optimo sibi erit de opimo triumpho veluti laureatis litteris gratulandum. Adeste itaque animis, auditores, litterarum causam, in quam ingredior, summa iudicii aequitate, acerrima mentis contentione pensitate, mihique antiquitatis monumenta lustranti aures, quae vestra humanitas est, pronas patientesque commodate.

Ac mihi quidem saepenumero in summos viros, qui artium optimarum studia pietate cumularunt, quique rei christianae dignitatem qua voce qua scriptis qua rebus gestis amplificarunt, intuenti, quidque de scriptoribus qui aurea aetate Athenis, atque in hac urbe dicendi laude floruerunt, senserint circumspicienti occurrit sententia, in quam concessit Hieronymus, cui a sacris litteris enarrandis atque vertendis maximi agnomen accessit: cum ab eo quaereretur, quo tandem animo sese ad latinos plurium annorum contentione converterit: Goliat, fidenter pro re nata subdidit, suo mucrone iugulo: ancipitem eloquentiae gladium incudi ethnicorum subactum et recusum ad sanctissimae religionis tutamen et vindicias exserto, divinisque deuteronomii institutis insistens, ancillae crines detondeo, ut ex ea in libertatem vindicata, servilibusque notis detersa, mihique stabili connubio iuncta pulcherrimam Christo Servatori prolem suscipiam, susceptamque educam [1]. Vox sane sapiente digna.

[1] In crimen a Magno vocatus Hieronymus, quod Tullii, Virgilii, aliorumque fidei christianae expertium sententias suis perpetuo interserat scriptis, omnem ab hac scribendi ratione culpam procul esse contendit; seque Mosis, Salomonis, Pauli apostoli, Quadrati,

Omnes enim curae, laboresque nostri, quibus ab ineunte aetate in graecis latinisque litteris arripiendis assidue atterimur, omnes diuturna studiorum contentione scientiarum opes congestae, doctrinarum optima quaeque e probatissimis scriptoribus excerpta nostrosque in usus collata eo demum referri, in illud collineare signum debent, ut de animis ad virtutem instituendis, de moribus ad rectum effingendis, de vitiorum male ominata segete stirpitus exturbanda, de rei christianae hostibus contundendis eiusque dignitate in maius provehenda locupletissime promereamur. Quam optatissimam metam contingere is procul dubio desperet, qui ingenium bonarum artium studiis subigere, eiusque aciem litterarum veluti cote exacuere deses et excors neglexerit, illudque rude, rubigine exesum, situ et squallore obsitum siverit hebescere. Hae autem scientiarum opes, haec dicendi facultas qua via parentur; ut litteris, quas religiosius profanas nominant, et alantur et constent, neminem nisi studiorum rationis novum, inque antiquitatis institutis hospitem et peregrinum latere censeo.

Quaenam enimvero ars, quaenam lautior liberalisque doctrina, ut unam alteramve ex iis delibem, quae in hominum usu et consuetudine versantur, non graeco latinoque fonte manat, quo obstructo vel ipsi rivuli pauperes aquarum imas lambant arenas, ac demum arescant, necessum est? Grammaticos evolvite, rhetores versate, dialecticos circumspectate: quibus initiis quove capite eorum artes

Aristidis, Clementis alexandrini, ceterorumque religionis nostrae vindicum exemplo communit. S. Hieronymus ad Magnum oratorem Romae epistola LXX, oper. tom. I edit. Vallarsi.

profectae ad tantum decus adoleverint; ad quos auctores et parentes suam referant dignitatem, in aperto est. Enimvero ut iis, qui inflammato odio in profanas litteras feruntur, morem paullisper geramus: fingite animo, omnes eorum qui ethnica superstitione imbuti graecis latinisque litteris nobilissima ingenii monimenta commendarunt, labores flammis abolendos, eorumque scripta ceu diris devota merasque labes in ardentes rogos coniicienda; quid sodes artibus, quid optimis disciplinis fiet? Grammaticis Varronem, cuius ingravescens aetas in M. Tullii adolescentiam incidit, adimite: e medio tollite Virgilium, Horatium, Livium, ceterosque qua oratores, qua historicos, qua poetas, quorum auctoritate et exemplo grammaticarum legum robur innititur: nonne omnia nutantia, tenebris circumsepta, tricis implexa, difficultatibus obvallata squallerent? Nonne latinus sermo, quem gremio fovit et fovet ecclesia, quo suam effert mentem, quem suis ritibus, suisque inauguravit mysteriis, cuique nefarium impii novisque rebus studentes bellum moliuntur, intermortuus et depositus oblangueret? Varro enim, ut missos faciam antiquiores, quos enucleate Svetonius percenset [1], orbis grammatici regiones et oras singulas perlustravit; latino sermoni sua iura suasque leges descripsit, foedera vocum sanxit, exemplis communivit, ut in tempora et modos flectantur, ut vergant in casus, quae vis iisdem, quae cognationes, quae connubia, quae divortia, est quam accuratissime persequutus; reliquisque qui ad hanc usque aetatem suis studiis eamdem spartam

[1] C. Svetonii Tranquilli de grammaticis illustribus liber. Oper. vol. II edit. Pomba.

ornarunt, iter expeditius constravit [1]. His itaque cardinibus, quibus latinus sermo vertitur, revulsis, exlex ferretur oratio, soloecismis scateret, impolita incompta impexa subabsurda et hispidosa difflueret, hiulca rudisque perstreperet, mera monstra balbi infantesque effutiremus. Ego vero, ut verbis Hieronymi utar, propter eloquii dignitatem ad latinos scriptores me contuli [2].

Et sane ut pedem e grammaticis spatiis in quibus nobilissima Varronis sunt impressa vestigia, efferamus, si eorum voluntati, qui ethnicos pervellunt scriptores, diemque profanis litteris dicunt, foret obsequendum: actum de rhetorum, actum de poetica facultate esset, et eloquentia, quae graecis latinisque oratoribus fingitur, iamdiu suo loco

[1] M. Terentii Varronis de lingua latina libri. Opera omnia quae exstant. Durdrechti MDCXIX.

De eo Quintilianus Instit. orator. lib. X cap. I « Varro ro» manorum eruditissimus: plurimos hic libros et doctissimos com» posuit, peritissimus linguae latinae, et omnis antiquitatis, et rerum » graecarum, nostrarumque ».

Et libro ultimo capite ultimo earumdem institutionum. « Quam » multa imo pene omnia tradidit Varro! »

S. Augustinus lib. VI de civitate Dei cap. II « Quis M. Var» rone curiosius ista quaesivit? quis invenit doctius? quis conside» ravit attentius? quis distinxit acutius? quis diligentius, pleniusque » conscripsit? »

Ceteri a Varrone grammatici, Charisius, Diomedes, Priscianus, Probus, Donatus, Servius, Victorinus, Macrobius, reliquumque bene longum agmen plurimas recte dicendi leges ab eo expresserunt.

[2] « Quid ergo mirum si et ego sapientiam secularem pro» pter eloquii venustatem et membrorum pulcritudinem de ancilla » atque captiva israelitidem facere cupio? labor meus in familiam » Christi proficit ». S. Hieronymus ep. ad Magnum.

mota et profligata iaceret. Si enim ab adolescentibus, qui animum ad haec studia appulerunt, exempla in illustri posita monumento, si maiorum praecepta et instituta, quae ingeniis moderantur, amoliaris; nonne iisdem omnem scribendi venustatem et copiam invideas, aditum ad eloquentiam intercludas, eosque de spe vel tenuem in dicendo laudem assequendi deiicias? Ecqua enimvero via Joannes pontifex, cui ab aurea eloquendi facultate Chrysostomi agnomen est partum, ad eam orationis vim et ubertatem est evectus, ut cum Demosthene Isocrate Pericle ceterisque graecorum disertissimis de principatu deque palma dimicaret? Athenas studiorum causa digressus, pluresque inibi annos commoratus, rhetores adiit, graeca noctu interdiuque volutavit, demosthenicis orationibus stilum edolavit. Utque antiquis recentia et citima subtexam, Paulus Segnerius, quem Tullium christianum dixeris, ad quem quo propius imitatione itali oratores accedent, eo erunt praestantiores, tantumque a summa dicendi absolutione quantum ab eius exemplo recedent, totum sese ad Ciceronem contulit, perpetua eius lectione ingenium aluit, septem quas in Verrem habuit orationes, in modos nostrates transtulit, ab eoque robur lacertos dicendique colorem expressit. Quid Bourdaluvium, quid Bossuetum persequar? quorum neuter primas in dicendo tulisset, nisi ineunte aetate, ut constat inter sapientes, se ad graecos latinosque summa animi contentione vertisset.

Equidem me vobis dabo auditores, et in quam mentem experientia duce et magistra venerim, manu edocebo. Ut meo defungerer munere, nullaque officii particula dilaberetur inexpleta, ad M. Tullii partitiones, ad libros de

oratore, ad Brutum, reliquosque quibus dicendi leges complexus est, accessi; Aristotelis, quod de arte rhetorica opus inscripsit, mihi evolvendum duxi: quid citimae aetatis scriptores ad eadem praecepta contulerint, nolui me inscium lateret. Jamvero omne qua longe lateque patet praeceptionum rhetoricarum aequor ab Aristotele et Tullio decursum est: omnes argumentorum sedes praemonstratae: omnis disserendi ratio conclusa, et ad suum caput revocata: quibus teneatur legibus orator in iudiciali, quibus in demonstrativo, quibus in deliberativo genere: ut singula orationis membra, membrorumque nervi et articuli coagmentandi, ut struendi, inque ordinem digerendi: quanam arte quae a nobis sunt confirmanda, quae secus infirmanda et diluenda: ut motus ciendi, ut impellendi, ut reflectendi: ut irarum eiaculandae, ut restinguendae faces: ut affectibus effundendae, ut adducendae habenae: ut spe erigendus, ut metu contrahendus animus: quibus luminibus, quibusve numeris collustrandus orationis ambitus et expoliendus; uberrime et accurate Aristoteles et Tullius sunt persequuti: a quorum abesse vestigiis religioni sibi duxit Quintilianus, cum duodecim libris doctis sane et perpolitis absolutam oratoris speciem effingit, recteque dicendi formam praeceptis institutisque revincit [1]. Quid plura? Quaestio illa, quam nuperrime apud germanos rhetores non sine eruditionis

[1] Aristotelis stagiritae de arte rhetorica libri tres, Patavii ex typographia Seminarii MDLXXXIX.

M. Tullii Ciceronis de oratore libri tres. - De claris oratoribus seu Brutus. - Orator ad M. Brutum. - De partitione oratoria dialogus ad Marcum filium. - De optimo genere oratorum. - Rhetoricorum, seu de inventione rhetorica libri duo.

ubertate, argumentorumque pondere versam legimus: quid scilicet naturae quid arti dandum sit, vel in ipso rhetorices limine ab Aristotele paucis diiudicata est: utriusque enim societas ineunda, utraque icto foedere iuganda: alterius altera opem poscit, et praesidium. Si enim naturam ars destituat, ingenia iuveniliter exsultantia transversum agentur: si vero artem natura nec iuvet, neque sustentet, exsanguis flaccescat oratio, humique iaceat, necesse est: sin utraque coniuret amice, tunc nescio quid praestans et singulare efflorescet. Hinc manat, quam foede fallantur, qui impotenti rerum novarum studio artem et praecepta ceu compedes et vincula ingeniis iniecta exagitant, iuvenesque a legibus scribendi veluti a teterrimo servitio in libertatem effrenem asserendos qua possunt maxima dimicatione contendunt. Nec intelligunt, artem, ut omnia brevi complectar, natura probe inspecta constare, eiusdemque viribus et exemplis communiri. Ut vero ad graviora accedam, tacitus hoc loco praetereo lites hac nostra aetate italis litteris mandatas de loci et temporis adiunctis in fabula custodiendis, qua lege nodus a tragoedis et plicandus, et expediendus; quid vatibus in epopoea, quid in moribus heroum praestandum: quae omnia singillatim Aristoteles in re poetica nitide et enucleate edisserit [1].

Quorsum haec auditores? ut probe teneatis, quam cladem, quamve perniciem eloquentiae dicendique facultati moliantur, qui eas a graecis latinisque, a quibus de manu nobis in manum profectae sunt, divellunt ac distrahunt: quae labes quodque exitium rei quoque christianae

[1] Aristotelis poetica.

consciscitur. Nemo enim christianum nomen cum dignitate tueri, nemo in aciem prodire, cum hostibus praelia miscere, eorumque potest impetus frangere, nisi graeca latinis consociarit. Utque ex omni antiquitate testes locupletissimos excitem, quorum virtute et sapientia res christiana stetit; eorum alte animis insederat opinio, reque probarunt, Christi pugilem acerrime in litterario pulvere exercendum, eique in umbratili disciplinarum palaestra diu tirocinium belli ponendum, antequam in solem et arenam certamen initurus descendat. Quem enimvero egere triumphum, quibus ecclesiam manubiis ornarunt, altera labente a Christo nato aetate, Justinus, Tatianus, Athenagoras! ut hostem ad angustias et incitas adegerunt! ut eorum eloquentia aut delinitus aut fractus brevi licet temporis intercapedine, deferbuit furor, quo in Christi scholam veteratorum ira ferebatur! Acerrima dimicatione vixdum adolescens religio laborabat, criminum foedissimorum odio conflagrabat, in invidiam perinde ac thyesteum epulata in morem et vagae indulgens libidini vocabatur, imperatorum animis faces teterrimae subiiciebantur: ad rogum ad circos ad feras ad exquisitiores necis gradus, ceu morti devota capita, indicta causa rapiebantur: alter in alterius sanguine mactabatur: conviciis, probrisque per compita perque vias proscindebantur: hominum conspectum lucemque vitabant; carebant senatu, carebant foro, sese cavernis parietibusque tegebant. Non tulit hanc feritatis speciem e Christi disciplina Justinus, suique oblitus sese medios in hostes coniicit, veritati adest, causam agit, criminationes eluit, imperatores a caede insontium deterret, populoque romano datis litteris aequioris

fit auctor consilii. Signa quoque cum graecis contulit Justinus, manus cum eorum sophis conseruit, offusasque tenebras excutiens veri lucem vel invitis immisit. At vero quonam ex armamentario clypeum et tela ad decernendum educit Justinus: quaenam missilia intorquet? Quibusnam in spatiis patiens pulveris et solis sese perdiu exercuerat? In manibus sunt eius orationes: qui stili nitor, quod pondus in sententiis, qui delectus verborum, quam apta et concinna comprehensio, quod eloquentiae lumen, quae eruditio graeco homine digna, quae notitia antiquitatis! Omnium, qui Athenis reliquaque in graecia tum prorsa tum versa oratione ingenii monumenta posteris prodidere, mentem rimatur: Orphei, Homeri, Hesiodi, Platonis, Sophoclis de summo numine omnia imperio cohibente sententias corrogat. Cumque in eam mentem coeant, Deum cuncta nutu movere, et aequo imperio mare terras et astra temperare; cumque corporeis vinculis erimus exsoluti, suas flagitiis poenas, sua benefactis praemia constitui: cumque haec nitidiori in luce collocet Christi religio: hinc si quidem sibi constare velint, aut falsi coarguant Orpheum, Platonem reliquosque quos laudibus ad caelum efferunt, aut nostram disciplinam desinant stultam traducere, eique probrosas notas inurere. Super haec ad abstrusiora graecorum mysteria provehitur Justinus: quid perridiculi, quid monstrosi eorum insit theogoniae, retegit: ad Moseu accedit, eius historiam hellenicis monumentis communit, aditumque ad Christi scholam recludit [1].

[1] S. Justini philosophi et martyris ad graecos oratio. Ad graecos cohortatio. - De monarchia. - Apologia I pro christianis ad

Hoc quod Justinus, iter obivit Tatianus, hoc Athenagoras, hoc longus bellatorum ordo, qui prima pugnae tentamina cum hostibus civere: qui profecto tamquam inexercitati pugiles in prima acie, primoque in congressu corruissent, nisi eorum dexteras graecae litterae obarmassent. Hoc itaque inter nos et illos, qui a graecis latinisque aureae aetatis scriptoribus adolescentes avocant, interest; huc recidit quaestio: quod illi religionem dicendi artis praesidio nudant nos obsepimus: illi arma hebescentia et rubigine exes . nos rutila et fulminea comparamus: illi eloquentiae laudem, quae graeco latinoque fonte manat, a religione distrahunt, nos adsciscimus: illi stilum barbarie infuscant, inquinate loquuntur, orationem subagrestem subrusticam scabram excudunt, nos expurgamus et expolimus. Una est enim religionis bonarumque artium parque conditio: quantum de litterarum cultu decedit, tantum de religionis tutamine imminuitur: comes siquidem et administra religionis est omnium sapientium consensione, eloquentia: humanioribusque litteris veluti solo ac fundamento sacrae disciplinae superstruuntur.

Ut vero ad illa ecclesiae ornamenta, virtutis doctrinaeque antistites, quorum auctoritate et exemplis causa haec diiudicanda, lisque componenda est, nostra referatur oratio: numquam profecto sese graecis latinisque ethnicorum litteris ab ineunte adolescentia abdidissent, nec voce nec praeceptis adolescentes ad eas acerrime arripiendas inflammassent, nisi ex hisce artibus laetissimus fructus

Antoninum Pium. - Apolog. II pro christianis ad senatum romanum. - Dialogus cum Tryphone iudaeo. - Opera greco-latina edit. maurin.

peteretur, reique christianae dignitas et tutamen accederet. Quid horum infirmari, quid ad calculos vocari potest? Adest, ut paucula carptim delibem, Arnobius rhetorum longe disertissimus, qui omnia artis, quam probe tenuit, instrumenta ad Christi disciplinam convertit [1]. Adest ex Arnobii ludo Lactantius, cuius in scriptis spirat M. Tullii, quem unum sibi ad intuendum delegerat, ubertas et copia: qui, verbis utor Petrarchae, ut hostium vallum et moenia subrueret, sese tullianis machinis tormentisque instruxit [2]. Adsunt Gregorius, et Gregorii aequalis studiorumque socius Basilius, quorum utrumque tantus discendi ardor incesserat, ut patrias sedes Athenis commutarint, graecorum doctissimis arrectas aures adhibuerint, nihilque sibi deesse voluerint, quod ad eloquentiae laudem pertineret. Cumque coaevi adolescentes, ut eorum fert ingenium, dies solidos in alea in ludis in circo tererent, cumque balnea adirent, choreas agerent, matronarum cathedris haererent: Gregorius et Basilius nihil horum: una discendi voluptate

[1] « Arnobins sub Diocletiano principe Siccae apud Africam » florentissime rhetoricam docuit, scripsit quoque adversus gentes » quae vulgo exstant volumina ». S. Hieronymus de viris illustribns Oper. tom. II. edit. Vallarsi.

[2] « Lactantius et poetarum et philosophorum notitia, et cice» roniana facundia, et quod cuncta transcendit, catholica religione » clarissimus ». Franciscus Petrarcha snb finem libri I invectivarum in medicum.

Idem epistolarum senilium lib. I ep. IV ad Joannem Boccacinm: « Lactantius peregrinarum superstitionum fundamenta con» vellit ».

S. Hieronymus ep. LVIII ad Paulinum. « Lactantius eloquen» tiae tullianae fluvius ».

ducebantur: tempus omne graecis litteris a populi oculis remoti transmittebant. Quam suavissimam Athenis inter optimas artes exactae aetatis memoriam repetens annis ingravescens Gregorius, non voci non laetitiae pepercit: Et « Ἀθήνας ingeminat τὰς χρυσᾶς ἐμοὶ ὄντως καὶ τῶν καλῶν προξένους, εἴπερ τινὶ, τὰς Ἀθήνας τὸ τῶν λόγων ἔδαφος, o mihi vere aureae Athenae, et si cui, mihi » prae ceteris ingenii opum allatrices: Athenae artium » optimarum diversorium »! Cumque Gregorius amicissimi casum indoleret eique parentaret, funusque lacrimis et concione prosequeretur, laudi vertit Basilio, quod atticos grammaticos et rhetores aemulatus orationibus ad demosthenicum robur, et ad Thucydidis limatiorem stilum propius accesserit [1].

Quam dicendi laudem limis adspectans oculis Julianus, tyrannorum qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt teterrimus, legem tulit: Christiani ethnicas disciplinas ne attingunto: oculos a profanis litteris arcento: animum poetarum commentis ne turpanto: gymnasia obstruunto: graecas artes tum colere, tum tradere cavento: unum Lucam et Matthaeum legunto [2]. Eo nimirum spectabat Julianus, ut optimae disciplinae e christianis castris transfugae facesserent, attici stili nitor hebesceret, studia oblanguerent, eloquentia obmutesceret, religio litterarum viduata

[1] S. Gregorius nazianzenus oratione funebri in laudem Basilii: inibi mentionem iniicit astronomiae, geometriae, διαλεκτικῆς, numerorum rationis, artisque medendi, quas probe tenuit Basilius.

[2] Julianus imperator epistola XLII. - Opera graeco-latina Juliani imp. cum notis Dionysii Petavii e Soc. Jesu. - Parisiis MDCXXX.

praesidio, dignitate et loco moveretur. Quae Juliani vox ut percrebuit, quis non ingemuit, quis dolore non arsit, quis impendens rei christianae discrimen siccis oculis est conspicatus? Omnium opinione maiorem hausit luctum Gregorius, iramque in Julianum evomens vehementi concione: Ecquis, inquit, tibi mortalium profligatissime hanc iniecit mentem, ut reliqua vitae crimina hoc uno cumulares? Opibus fortunisque exui, dignitate deiici, quamvis iniquissimum est, quoquo modo patiar: ast de eloquii laude deturbari, quae una nos nudos ad Christi castra commigrantes insequitur, non feram non sinam. Non enim Gregorium praeteribat, quam letali vulnere conficeretur religio, si artium graecarum laboraret inopia [1]. Nec alia mens, nec alius fuit animus Augustino; cum ei sermo de hoc Juliani scito incidisset. Cum enim imperantes recenseret, qui rem christianam ferro et internecione vastarunt: quo, inquit, te tacitus relinquo hostium vaferrime, qui odium fraude technisque obtegens Neronem et Decium nostra caede cruentatos unus omnium longe antecellis [2]?

[1] S. Gregorius nazianzenus orat. IV et V in Julianum. - Cnm multa gravia in Julianum iactasset Gregorius, tum illud gravissimum, malos daemones hoc illi immisisse consilium; eique notam stupiditatis inurit. Sub exitum alterius orationis sibi gratulatur Gregorius, quod hisce concionibus columnam herculea perenniorem contra Juliani improbitatem ad posteritatis memoriam constituerit.

[2] Eo vel nomine Augustinus christiani nominis hostibus Julianum accenset, quod hoc scito religionem artium optimarum praesidio nudavit: « Deinde quid respondent de Juliano, quem non nu-» merant in decem? An ipse non est ecclesiam Dei persequutus, » qui christianos liberales litteras docere et discere vetuit? » De civitate Dei lib. XVIII cap. LII.

Fuit enimvero perpetua, nulloque aetatum flexu consenescens ecclesiae laus, doctrinae patrimonium veluti haereditarium tueri, pacisque auctibus amplificare, caligantes inscitiae tenebras discutere, obrepentes errores carpere, nullos vel disertissimos hostes expavere, cum illis pedem conferre et cominus congredi, res praeclare gestas historiae mandare, ex editiori loco populum alloqui, mores ad rectum fingere, a vitiis ad virtutem traducere: ad quam laudem ut ingenia probe instituta adolescerent, suppetias a graecis latinisque litteris nullo non tempore conquisivit. Nec mirum: ut enim mens fert Augustini, hebraei pedem referentes ex oris aegyptiis, armillis torquibus inauribus aurique ignoto pondere onusti iter ad dissitas palaestinae plagas corripuere: ita ethnicis opibus congestis sese in Christi castra recepere Cyprianus, Lactantius, Optatus, Victorinus, ut ceteros qui vitam nunc temporis exigunt, missos faciam [1]. Et sane Hieronymus, quas a teneris arripuerat latinas litteras, non deseruit senex: et Tullii, Virgilii, Horatii crebris sententiis ceu electiori flore epistolas inspergit, et obtrectatores molli brachio corripit, quod sibi vitio verterent adolescentes in bethlehemiticis claustris tullianis praeceptis instituere [2].

Quid Ambrosium persequar? Quid Leonem, quid

[1] S. Augustinus de doctrina christiana lib. II, num. LX, LXI.

[2] « Pene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores, » et philosophos detriti sumus ». Haec de se Hieronymus, praefat. in Job.

Videsis invectivarum Rufini in Hieronymum libros, et Hieronymi apologiam adversus Rufinum. - Oper. S. Hieron. vol. II edit. Vall.

Gregorium summos rei christianae antistites, quibus tum eloquii dignitate, tum sapientiae laude, tum rebus gestis magni cognomen accessit [1]? Litteris proditum est, Fulgentium, cum necdum excessisset e pueris, Homeri carmina matris spectatissimae feminae hortatu memoriae mandasse, eaque tam suavi vocis flexu, tam apto oris et corporis habitu et motu recitasse, ut omnium in se oculos laudesque converterit [2].

Utque ad insequentis aevi monumenta descendam; cum barbaricis incursionibus italia foedaretur, graeca et latina disciplinarum supellex diriperetur tristique carperetur incendio, et inter tantam armorum vim nullibi ingeniis excolendis locus foret, communemque tempestatem et privata et publica res subiret: bonae artes diuturno iactatae

[1] « Ambrosius librorum mellifluos flores sparsit, quorum » hodie per omnes tractus ecclesiae gustus suavissimus, et fragran- » tissimus est odor ». Franciscus Petrarcha de vita solitaria lib. II, sect. III, cap. II.

Paulinus in vita S. Ambrosii eum tradit « liberalibus disci- » plinis edoctum ».

« S. Leo christianus Demosthenes, imo caelestis orator » in eius vita edita a p. Petro Canisio Soc. Jesu.

« S. Leo fuit ecclesiasticae dictionis Tullius, sacrae theolo- » giae Homerus, rationum fidei Aristoteles, auctoritatis apostolicae » Petrus, et in christiano pulpito Paulus. Eius sermones cor pene- » trant, afficiunt animum, fidem catholicam dulci breviloquio con- » firmant ». Joannes Trithemius de scriptoribus ecclesiasticis.

« S. Gregorius disciplinis liberalibus, hoc est grammatica, » rhetorica, dialectica ita a puero est institutus, ut quamvis eo tem- » pore florerent adhuc Romae studia litterarum, tamen nulli in urbe » ipsa secundus esse putaretur ». Paulus diaconus in eius vita.

[2] In eius vita apud Bolland.

naufragio e fluctibus tandem sospites emersere, seseque in coenobia ceu in portum hospitae receperunt. Animum advertite auditores, quo docendi instituto, quibusve studiorum rationibus adolescentium ingenia alerentur, quos ad intuendum scriptores eorum oculis obiectarent, e quonam fonte dicendi leges peterent. Enimvero Cassiodorus qui consulis trabeam pulla veste, regalemque domum sacris claustris commutavit [1]: insignis pietate et doctrina Beda, cuius maxima ac pene innumera in britannos atque adeo in europam collata merita nulla umquam deteret oblivio [2]: Alcuinus qui Carolo magno religionis finibus prolatandis auctor fuit, eiusque aulam bonarum artium diversorium constituit [3]: Rabanus Maurus, qui germaniae urbibus nova doctrinarum luce praeluxit [4]: Gerbertus, qui exin Silvester II summum

[1] Cassiodorus doctrina, consilio, scriptis clarissimus, pius vixit annos XCV, decessit in pace Christi an. DLXXV. - Trithemius de script. eccl. - Labbeus dissertatione historica de script. ecclesiasticis.

[2] « Inter observantiam disciplinae regularis, et quotidianam » cantandi in ecclesia curam semper aut discere, aut docere, aut » scribere dulce habui ». Haec de se sanctissimus vir Beda, qui quam latissime, ut ferebant tempora, scientiarum fines protulit: magisterio, exemplis, consiliis ad omnem virtutis et doctrinae laudem adolescentes instituit: ex Aristotele et Tullio sententias ad mores regendos legit, duosque in libros digessit: difficultas anhelitus ei finem vivendi attulit an. DCCXXXV, aetatis anno nono et quinquagesimo. Trit. Labb. Bellarm. de scriptoribus ecclesiasticis.

[3] Alcuinus seu Albinus Flaccus artem grammaticam, rhetoricam, dialecticam, theologicas morumque doctrinas suis est scriptis persequutus: vita functus an. DCCCIV. Eo auctore et magistro usus est Carolus magnus. Vita Caroli imperatoris.

[4] Rabanus Maurus e coenobio fuldensi ad moguntinum

religionis magisterium capessivit [1]: omnes unam docendi viam inivere, eadem omnes adolescentibus spatia per vices absolvenda definierunt, omnes Tullio, Virgilio, Horatio, ceterisque aureae aetatis scriptoribus et legendis et enarrandis, et memoriter recitandis exacuendas ingeniorum acies duxerunt: tum philosophicis disciplinis gradatim emensis, aditum illis ad sacras litteras muniebant; quas eo commodius arrepturos ducebant, quo solertiorem rei grammaticae et rhetoricae operam navassent. Cumque undecimo seculo ineunte, coenobii institutionem lycea publice excitata excepissent; eadem iuventutis instituendae forma rite sancteque est custodita [2].

Antequam vero manum e tabula: pronis sunt auribus haurienda sanctissimi cappodocum praesulis Basilii praecepta quae devexa iam et in senium vergente aetate animis adolescentium, qui in ecclesiae spem optimis institutis innutriti efflorescebant, recondidit: quibus auditis omnis criminatio, quae catholicis gymnasiis conflatur, eluetur, omnisque invidiae flamma, qua ex ethnicis scriptoribus laboramus, residet. Experrecta itaque mente, ait Basilius, artium optimarum spatia devorent, e carceribus ad metam alacres contendant: ceu solertes gnavique

pontificatum evectus, prorsa versaque oratione plura in vulgus edidit: vitam cum interitu commutavit an. DCCCLVI. Annal. fuldens. Labbeus de script. eccl.

[1] Silvester II sacris humanisque litteris probe excultus omnes disciplinarum partes arripuit: pontifex maximus renunciatus an. DCCCCXCIX, diem suum obivit an. MIII. Hock, Gerbert oder papst Silvester II.

[2] Histoire littéraire de la France, siècle XI, XII.
Duboulay Historia universitatis parisiensis tom. II, III, IV, V.

institores onerariis navibus graecas merces aggerant; in iisque parandis nec frangat labor, nec avocent voluptates, nec inania crepundia interturbent: suus enim labori fructus, suum operae pretium, sua defatigationi compendia maturo tempore constabunt: inter haec spe studiorum praemia praecipiant. Oculos in Mosen coniiciant, quem aegyptiis doctrinis imbutum novimus; Danielem animo reputent caldaeorum scientiis ornatum et expolitum. Ut vero omne quam longissime absit periculum, nullaque candori virtutis labecula inhaereat, apum ritu et more non omnibus insideant floribus, a veneficis avolent, lectissimos et odoratiores delibent, ut purissima scientiarum mella stipent, sapientiaeque redolentes favos excudant. Ut enim cum rosas legimus, ne in carpendo flore sentibus suboffendamur, cavemus: ita inter amoena poetarum vireta spatiantes, si quid maculam pudori inspergat, vitemus, si quid probrosum occurrat, oculos aversi torqueamus; turpe enim et indecorum foret, dum avidius legendi voluptate ducimur, mentis nitorem pessumdare, eumque stili venustati posthabere. Hac mente, cum nondum sacras litteras attingere per aetatem liceat, historicos, oratores, poetas graecorum nobilissimos evolvant, virtutum praecepta eorum libris concredita arripiant, eorumque documenta ad rem christianam inflectant. In hanc vero sententiam descendit, qua haud scio an ad causam aptius queat afferri: *πᾶσα μὲν ἡ ποίησις τῷ Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἐστὶν ἔπαινος*, omne homericum opus perpetua est commendatio virtutis. Haec fuse Basilius: nos summatim et carptim [1].

[1] S. Basilius ad adolescentes quomodo possint ex gentilium libris fructum capere. Oper. tom. II edit. maurin.

Quamobrem si tanti viri institutis haereamus, eoque duce et auctore artium optimarum rationem ingrediamur; non dubito, quin amoeniores litterae rei christianae bene-vertant, nihilque de probis moribus, nihil de pietate detractum, nihil imminutum sit. Nobiscum itaque in gratiam redeant, quotquot inani virtutum colore in fraudem adducti diem graecis latinisque scriptoribus dicunt, eosque a puerili institutione amandandos autumant. Id enim confirmo, et pro virili recipio, nihil nostris doctoribus antiquius, nihil potius esse, quam puerorum mores ad rectum informare, ad vitam caste integreque instituendam praeceptis communire, virtutum semina eorum animis veluti agro subacto inverso et mollito concredere, eaque fovere, laetamque in messem educere. Haec curant: his invigilant: his instant. Ut bonae artes foedus cum religione feriant, id unum moliuntur, id spectant. Latinos graecosque scriptores omni detersos naevo, omni circumcisos labe, omni elutos faece,

Hanc sanctissimi cappadocum praesulis mentem cum Amphilochii Iconii pontificis mente coire nemo ibit inficias, qui oculos coniiciat in carmen iambicum, quod in latinos modos transtuli.

Ἀμφιλοχίου Ἐπισκόπου Ἰκονίου ἐπιστολὴ ἰαμβικὴ πρὸς Σέλευκον

Καὶ τὴν μάθησιν τῶν παρ' Ἕλλησι λόγων
Ὥσπερ δικαστὴς εὔνομον ψῆφον φέρων
Ὑπηρετεῖσθαι τάξον, ὡς ἐστὶ πρέπον,
Τῇ τῶν ἀληθῶν δογμάτων παῤῥησίᾳ
Τῇ πανσόφῳ τε τῶν γραφῶν θεωρίᾳ.

Amphilochii pontificis Iconii epistola iambica ad Seleucum

Et hellenicam doctrinam,
Ut recti arbiter et aequi,
Deservire iube, ut par est,
Liberae veri dogmatis pertractationi,
Et divinarum litterarum commentationi.

omni expunctos sorde innocuis alumnorum oculis subiiciunt, quidquid pudori officit, piaculum est vel intueri. Conquisita verius, quam arrepta occasione verba de pietate serunt: et siquid inter enarrandum a religione absonum inciderit, e vestigio pervellunt carpunt coarguunt absque nota abire non sinunt: hinc fit, ut vitii increpatione pietas adolescat, eorumque in mentibus obfirmetur; inque religionis compendium error vellicatione perstrictus convertatur.

Quocirca id maneat in causa: si aureae aetatis scriptores quia ethnici abigantur, litterarum lumen extinguetur, eloquentia deflorescet, latinus sermo, quem in oculis et gremio fert ecclesia, sordescet; bonae artes a calce ad carceres revertentur. In ius vero ceu contestata lite foret abripiendus vel gentium magister Paulus, qui Epimenidis, Menandri, Aratique versus divinis interserit litteris: gravibus paterent criminationibus tum perantiqui fidei christianae testes, quos constat Platonis, Zenonis, atticorumque sophorum scripta lectitasse, tum longum sapientum agmen, qui auspice et duce Thoma Aristotelis institere vestigiis. Nec tenui invidiae flamma flagrarent tot sanctissimorum ordinum auctores, qui se suosque iuventuti probe instituendae addixerunt, ut in spem rei tum christianae tum publicae adolesceret. Veritas siquidem, ut omnia brevi complectar, et quaestio ex Augustini mente componatur, veritas una est, licet innumeros dissecta in radios, eaque non hominis sed Dei; et lucis instar non faecibus turpatur mortalium: quam cum arripimus, ubivis gentium ea sit, nostro iure agimus [1].

[1] S. Augustinus in libris de doctrina christiana hanc aliis atque aliis formis sententiam promit.

Jamvero locus hic ad dicendum amplissimus nos admonet, ut animum ad laetiora erigamus; metu si quis fuerit solvamur, inque spem fidissimam ingrediamur, dignitati litterarum et ecclesiae, hisce quibus utimur, studiorum praeceptis, consultum satis et provisum fore. Inter enim domesticos hosce parietes, iisdem discendi legibus et formis, caelitum honoribus, ad quos gaudemus evectos, prolusere, bonas artes virtuti foederantes tum Leonardus sacris per Italiam excursionibus probe de re christiana meritus, tum Camillus, qui aegris animam agentibus se sodalesque sacramenti religione devovit, tum flos ille niveus pudoris, in cuius fide et tutela sumus, Aloisius Gonzaga: ut tacitus praeteream Urbanum VIII Innocentium X septenosque alios summos rei christianae antistites, qui eadem litterarum spatia attrivere [1].

[1] In longum nimis abirem, si historia duce leges sancte constitutas persequerer, quibus sodales a Matre Dei, Somaschorum familia, Barnabitae, aliique spectatissimi coetus ad litteras et pietatem ingenia provehunt: quibus legibus romanorum pontificum laus et pondus accessit.

B. Leonardus a Portu Mauritio ineunte seculo XVIII humaniorum litterarum, et philosophiae stadia emensus est in collegio romano.

S. Camillus De Lellis seculo XVI exeunte huius collegii alumnus.

S. Aloisius Gonzaga hinc ad caelestes abiit: hic omnium virtutum laude enituit, ad occasum devexo seculo XVI.

Urbanus VIII, Clemens IX, X, XI, XII, Innocentius X, XII, XIII, Gregorius XV inter harum aedium septa orbis christiani magisterio prolusere.

Operae pretium me facturum censeo, si sub huius concionis calcem excitem ab oblivione, inque medium prodam Mapheum Vegium laudensem, qui vertente seculo XV ingenii doctrinaeque

Sed finem dicendi faciam. Vos vero, summae spei adolescentes, quorum causa haec a me inita contentio est, animum revocate, mentem sumite parem expectationi, in quam nos ingenium et pietas vestra adduxit, parem eorum nomini, qui in eodem vobis stadio praeivere. Hac tenebricosissima tempestate in quam aetas nostra incidit, rerum novarum studia exaestuant, omnia invertendi libido sine more furit: foedum rei christianae, foedum rei publicae bellum cietur: religionis res propius agitur: ensem hostes procudunt, arma parant; fraudes et opertae irae intumescunt; maiorum instituta, qui tot annorum dimicatione sibi posterisque tantum peperere nomen, risu dicteriisque exploduntur: philosophicae disciplinae susque deque miscentur,

laude cumprimis floruit, suamque dedit operam Eugenio IV et Nicolao V, summo beneficiis dandis magisterio caste integreque functus. Huius viri pietas et scribendi facultas in libris, quos in vulgus edidit, enituit, liberalitas in exaedificanda cella s. Monicae ad s. Augustini, in qua et condi voluit: diem suum obiit Romae an. MCCCCLVII. Nostram causam stilo vindice asseruit libro de educatione liberorum cap. XVIII: « Vanus quidam nugator ex indoctorum grege oratores » poetasque omnes pessime criminabatur, latinae linguae parentes » Virgilium et Ciceronem, quos acerrime detestans prohibebat, ne » pueris ullo modo legendi darentur. Non viderat hic doctus, ut » sibi videbatur, theologus, quod theologorum princeps Augustinus » dicat, Virgilium propterea a parvulis legi, ut videlicet poeta magnus, omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus » annis non facile oblivione posset aboleri. Non noverat quoque » quod idem scribat, dum adolescens adhuc legeret Hortensium Ciceronis, mutasse adeo ex lectione eius omnes affectus suos, atque » ad Deum spem omnem convertisse, ut divitias nullo modo appeteret. Quid vero continent aliud eius volumina, quam summam » ad virtutum amorem, vitiorumque odium exhortationem? »

graeca et latina quibus diu eloquentiae dignitas stetit, nullo numero censentur. Huic late gliscenti morbo occurrite, ne latum quidem unguem a maiorum institutione abscedite, avitam laudem recte factis tuemini. Fortes fortia decent: abiectae remissaeque mentis est pedem ex arena referre: hostium cuneos formidare: inter haec animo, qui victores decet, in litteraria palaestra simulacra pugnae ciete. Aderit enim nobis vocata Virgo Dei Parens labis ab origine nescia, quae in tanta calamitatum colluvie rei christianae spe laetiori praelucet [1].

[1] Paucis ante diebus, VI eid. decembres Pius IX P. M. aetatum orbisque vota implevit, cum in aede principe vaticana, sacro patrum cardinalium adstante senatu, frequentissimo e dissitis regionibus coacto episcoporum conventu, magnam Dei Parentem labis primaevae exsortem solemni decreto sanxit haberi.

DE PRAVORUM LIBRORUM LECTIONE AB ADOLESCENTIBUS ARCENDA

ORATIO

HABITA STUDIIS AUSPICANDIS IN COLLEGIO ROMANO IDIB. NOVEMBRIBUS AN. MDCCCXLIIII.

Animum mihi saepenumero, auditores lectissimi, ad rei litterariae, et adolescentium, qui nobis concrediti bonis artibus et pietate imbuuntur, vices referenti acerba sane cogitatio veterem aegrimoniam curamque integravit. Namque illa ingenia, quae ludi tentaminibus subacta et perpolita eximie adolescebant, illi mores, quos integros omnisque labis expertes solers docentium amor praestiterat, illae virtutes, quae pulcriores e iuvenili fronte enitebant, tristi conversione non raro extinguuntur. Quoties pectore ab imo suspiria ducentes ingeminare debuimus, heu fallaces hominum cogitationes! heu spes in irritum collapsae! heu tot annorum labores uno die uno horae articulo pessumdati! Me quidem exanimat, et propemodum a capessenda docendi provincia deterret illa a virtute, quam ab ineunte ad adolescentem aetatem produxerant, ad omne nefas conversio, quae in aliquibus tanta est, ut vel exile primaevi decoris vestigium desideres. Sed quoniam in causas calamitatum inquirere, easque cogitatione assequi, non mediocri est ad eadem mala praecavenda praesidio, nec leve exhibet in dolore lenimen; idcirco decrevi hodierna die fontem, unde tot in adolescentium mores, indeque in

humanam societatem labes dimanent, vestigare, eumque detectum omni qua conniti possumus maxima ope declinare. Enimvero me non fugit, succrescentem adhuc, nec aetate nec usu confirmatam virtutem medio in cursu saepe consistere et frangi, antequam metam, quam peroptarat, attingat. Hinc enim pravae vivendi consuetudinis exempla, illinc liberiora cum aequalibus colloquia, hinc remissior parentum cura, illinc suomet arbitratu facta vivendi potestas vernantem virtutis florem decutiunt. At vero in tanta discriminum varietate, in quae iuvenum virtus vocatur, nulla capitalior pestis, nulla pernicies letalior, quam ex libris censoria nota signandis haustum virus, quod veluti venis inclusum, perque praecordia serpens, omne animi ingenii religionisque lumen extinguit. A quo periculo res italas prohibete, auditores; huic tabidae lui longe lateque grassanti, novisque in dies viribus ingravescenti vestram fidem, vestra consilia obiicite, ut sartam tectam ab hac morum labe succrescentem europae spem pro virili tueamini: et quantum studii et laboris ad eam pravis voluminibus labefactandam scelesti homines conferunt, tantundem vos ad eius incolumitatem convertite. Quod ut libentius praestetis, me vobis indicabo, simulque evincere dicendo contendam, quantum salutis publicae intersit ab adolescentium manibus nocentia scripta ablegari. Si enim iuvenum virtus praeceptis est, hortatuque munienda, si fraudes ad illaqueandos mores ductae, sunt in adspectum lucemque prodendae, nonne id aequissimo iure ab eius est voce expetendum, qui in docendi provinciam adscitus, discentium septus corona ad dicendum accedit?

Molles, et ad quam quis expetierit, exprimendam

formam cereos adolescentium animos esse, nemo est qui ambigat. Vividior mens rerum imaginibus acrius percellitur, animus cupiditatum, quippe quae arrectae necdum expletae nec fractae, igne corripitur et aestuat, aetas nullo usu erudita, instructis veteratorum technis nullo negotio circumagitur. Utque paries recens colores, quibus inspergitur, imbibit altiusque servat, ut arbuscula flexum, quem villici manus optat, adolescendo retinet, ut rivulus alvei sinum, quem agricola tellure diducta recludit, pronus facilisque sequitur, sic pueros, quo cupias, impellis, unde mavis, reducis. Enimvero fingite mente in adolescentis, qui aetatem primam in litteris et pietate exegit, manus incidere librum, in quo velut in hortulo floribus halante areolarumque varietate descripto, lateat anguis; voluptate delibutus non prius oculos a lectione deflectet, quam caeco alteque adacto vulnere concidet. Si enim scriptorum, qui ab eloquentiae artibus poeseosque veneribus arma mutuantur, insidias, si adolescentium mores et ingenia excutiamus, haud longe a re et veritate hoc abesse perspiciemus. Illae siquidem voluptati ministrantes fabulae, de romanensibus libellis loquor, qui religionis bonarumque artium detrimento, europae regiones infecerunt, illi novi nec opinati eventus, illa morum, vestium, regionum varietas abducunt quodammodo, secumque legentem ita abripiunt, ut sui bonarumque artium oblitus nil agitare mente, nil secum reputare, nil diu noctuque animo versare queat nisi illa commenta, illasque voluptuarias imagines, quas toto pectore hausit. Quod si ex hisce libellis delectatio sola peteretur, nullumque religio probique mores periculum adirent, haec tamen temporis iactura tum ampliori doctrinarum compendio officeret, tum animum

modo huc modo illuc distrahens non sineret in veritatis regno consistere.

Ecquis vero in animum inducat suum, posse adolescentem intacto impollutoque pede foedissimarum voluptatum coenum decurrere, illasque pagellas amare et amari docentes innoxiis oculis lustrare? Ut enim propius ad rem accedam: initio nil contra mores; exquisitis artis coloribus pingitur, ut aliquod e multis exemplum decerpam, equitatus virorum tum genere tum dignitate principum, albescente die ab urbe digrediens: vestes, arma, aetas, oris et corporis habitus, equi, equorumque phalerae oculis legentium subiiciuntur: dum iter expediti carpunt, silentium, mox lenes susurri, tum convicia, iurgium iuvenis venustate et gratia aulicorum superbientis, in iurgio certamen singulare et caedes: e vestigio quam laxissimis habenis fuga, et in fuga hospitium in castro nomine et praesidio reginae tutissimo, quo in castro quae voluptates quae luxuriosa laetitia quae scorta quae lustra animus refugit vel innuisse. Hos vero libellos, de quibus illud vere dici potest, quod de sua fabula quam inscripsit Elisam, Rousseavius, mirum si quis ad extremam pagellam invulnerato corde pertigerit; hos inquam impune in vulgus seri, urbes, oppida, rura, domosque pervadere, hos impensius conquiri, avidius evolvi, diutius atteri, de manu in manum circumferri, et socios ruris, socios itineris, socios nocturnae vigiliae et contubernales conspicimus. Nec satis: ne sua procul oculis absit libido, indecoras turpesque imagines et volumini praeponi et interseri, compertum omnibus exploratumque est. Quid ego tragoedos, quid comicos, quid leviorum carminum conditores proferam? Nonne si oppido paucos ex

hoc grege detrahas, qui versibus religionem ornarunt, aureis poculis venenum iuvenibus propinant, quo hausto in omne scelus effrenes dilabuntur, suosque mores pravis, quas menti indiderunt, doctrinis componunt? Tragoediae quaedam in tantam vocarunt invidiam tantumque in Christi Domini sacerdotes odium conflarunt, ut cum agerentur, adstantes ceu vesano furore correpti ceu mente lymphata sanguinem eorum sitire, ad eorum caedem convolare, eorum anhelare exitium, eosdem oculis ad supplicium designare viderentur.

Enimvero sunt et graviora. Adolescens, qui nec a limine theologica studia salutavit, quique puriores ecclesiasticae historiae fontes nec e nomine novit, quonam auctore, quo duce discet, si quid vitii romanis pontificibus inhaeserit, id a vicaria Christi potestate secernere? Quid capiet consilii, cum in illas rei christianae et publicae parietinas, inque tenebricosum illud tempus inciderit, quo tempore, verbis utar Baronii, Deus ostendit, ne vitiis quidem pontificum posse apostolicae sedis lumen obtundi: cum relatum legerit, Stephanum sextum (septimus hic est Baronio) rerum per fraudem potitum impios praesules in consilium adhibuisse, et Formosum pontificem vita pridem functum in iudicium vocasse; eumque cunctis suffragiis damnatum, pontificiis insignibus exutum, tribusque abstractis digitis in tiberim datum fuisse praecipitem? cum Sergii III, Joannis X, XI, XII res gestas, et calamitates, Theodorae et Marotiae astu in romanam urbem invectas noverit, et Joannem XIV in custodiam datum, ibique Bonifacii VII iussu fame enectum [1]? Ancipites vel ipsi historici haerent,

[1] Locupletissima, quae mediae aetati facem praeferunt, monumenta proxime superioribus annis edita in germania fidem hisce

seque liti dirimendae impares monumentorum inopia fatentur, iurene an iniuria fuerit quis ad sacrae dignitatis fastigium evectus, eiusque nomen pontificum albo accensendumne sit, an ab eo expungendum [1]. Quibus nixus argumentis adolescens fidem historico in romanos pontifices furenti detrahet, secumque statuet Bonifacium VIII, Alexandrum VI, Leonem X non adeo foedioribus morum maculis turpatos, quas quidam comminiscuntur? Quonam auctore discet, risu excipiendum esse Aloisii de Barral argumentum, qui ut evincat romanum pontificem posse in Christi fide nutare, ab eaque desciscere, in medium affert Petri lapsum; quasi vero Petrus in atrio principis sacerdotum ancillae respondens rem ex cathedra, quam necdum conscenderat, sanxisset? Quibus eruditionis praesidiis fidem resignabit historicis de Liberii lapsu sibi gratulantibus; cum iuxta religiosiores criticos omni destituantur fide laciniae illae et fragmina, quae se Hilarii nomine tegunt, quibusque evincere perditi homines adlaborant Liberium suaè pondus auctoritatis sirmiensi conventui eiusque scitis adiecisse [2]?

Baronii, et qui Baronium exscripserunt, narrationibus magna ex parte elevant; et invidiam, qua a Theodora et Marotia quorumdam nomen conflagrat, imminuunt.

[1] Consule recens nec uno commendandum nomine compendium historiae ecclesiasticae Henrici Gulielmi Wouters,

Annales Baronii, et criticen Pagii,

Delsignore Institutiones historiae ecclesiasticae. - Pontifices sec. IX, X, XI.

[2] Francisci Antonii Zaccaria e soc. Jesu dissertatio de commentitio Liberii lapsu.

Gorgne - Dissertation critique et historique sur le pape Libère. - Paris MDCCXXXVI.

aut Vigilium in diuturna trium capitulorum quaestione nutantem omni erroris labe piabit [1]? aut denique integrum fidei decus vindicabit Honorio, seu cum epistolas ad Sergium constantinopolitanum patriarcham datas oggerunt, quibus silentii catholicis indicendi consilium probat: seu cum Sophronii Hierosolymorum patriarchae epistolam ab eo damnatam criminantur, et ad monothelitarum sententiam nullatenus Honorium accessisse secum ipse ducet [2]? Fides nutet, imo ruat necesse est, si quosvis absque delectu libros adolescens criminationibus eluendis impar evolverit.

Quid enim adeo sacrum, quid in maiori apud patres et seros nepotes religione, cui impiorum stilus pepercit? Libri Mosis in falsi suspicionem vocantur, orbis e nihilo eductio physicis disquisitionibus adversans traducitur; Adae sopor, et e quiescentis latere mulier educta, et mali colubri astu in fraudem pellecta cum orientalium fabulis commiscenda: illud et addunt, longe ante Adam et reges et civitates constitutas, et artes floruisse; quod commentum ratione annorum a Diodoro siculo, et Herodoto inita, et zodiacis Tentyris et Latopoli repertis confirmare conniuntur. Quid plura? Sacer evangeliorum codex, quem veluti e caelo delapsum suspicere, et vitae ipsius discrimine tueri debemus, quos et quam absonos in sensus detorquetur! Paucis vos volo. Cum tristi obsessum

[1] Palma - Praelectiones historiae ecclesiasticae tom. II, part. I cap. VII, de Vigilii agendi ratione in pertractanda controversia trium capitulorum.

[2] Acta et canones concilii VI apud Labbeum tom. VII.
Christianus Lupus - Dissertatio de VI synodo.

daemone Christus Dominus curavit, suoque nutu gregem suillum infera legio invasit: quid, inquiunt, daemon, quid daemonum legio? nugae. Phantasiae aestu misellus ille abreptus sibi legionem daemonum capite cohibere videbatur. Christus Jesus ut sciens prudensque medens curationem aegro perappositam adhibet: mentis ille male sanus petit, ut legio, quam in praecordiis, inque sinu suo digrunnire autumabat, erumpat, inque sues irruat: annuit Christus, tum ille clamore et gestu gregem territat, sues fugitant, cumque stagnis limoque oblectentur praesertim in aestuantis Palaestinae regionibus, hinc saltu sese dedere in aequor praecipites, inque undis suo lubitu volutati, sospites aestuque temperato alacriores emersere [1]. Ad haec, ubi Christus ait Petro « Vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, » qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius invenies » staterem, illum sumens, da eis pro me et te [2] ». Huic sententiae, ait recentior interpres, subest ellipsis verbi, nimirum vende, ita ut idem sonet, ac vende piscem, et invenies pretium, quod pro utroque nostrum vectigal pensites. Praeterea cum Petrus studio accedendi ad Christum Dominum e navicula in undas prosiliit, easque siccis vestigiis pressit, ibi etiam, nostro interprete auctore, latet ellipsis in littore: ita ut subsit sententia, Petrum in acta propter undas obambulasse [3]. Auditum admissi risum teneatis? Haec tamen praepostera interpretandi ratio, quae omnem miraculis fidem resignat, legentes in religionis exitium devocat [4].

[1] Matth. VIII, 28, 29, 30, 31, 32. Marc. V, 11. Luc. VIII, 32.
[2] Matth. XVII, 26.
[3] Matth. XIV, 29.
[4] Haec Paulusii, Strauss, Lücke, Baver germauorumque

Missos heic facio, auditores, nec leves nec paucos errores, quibus recentium quorumdam philosophorum methodus scatet, cui qui pareat, agatne vitam, spiritumne ducat, suaeque sit compos rationis, addubitet necesse est. Eos silentio praetereo, qui cognoscendi ordinem interturbant, obiectum subiecto permiscent, sursum deorsum disserendo cursitant, totaque via aberrant a veritate. Utque omnia comprehendam brevi: nec virtuti merces, nec malefactis poena, nec moribus suae constant leges: mentis vero actus nobiliores nervorum titillationi et motui, ordo physicus morali, Deus si quis illi super locus est, naturae dat locum, eique concedit [1]. Itaque iure hoc mihi videor esse dicturus, nisi in iuvenibus legendi lubido austeriori disciplina cohibeatur, de eorum moribus deque religionis incolumitate esse conclamatum.

Ne vero haec a me oratorie magis, quam vere dicta videantur; animum, amabo, auditores, ad rerum prudentiam convertite, mecumque historiae monumenta recognoscite; sic nullo negotio, quae ex prava lectione mala exundent, perspicietis. Ecquas non fudit lacrimas, ecquos non

eiusdem instituti impia insomnia stilo vindice expunxit tum Joannes Ranolder, Hermeneuticae biblicae principia generalia, Quinque Ecclesiis MDCCCXXXVIII. - tum Chassay Défense du christianisme. His praeivit Joannes Jahn, Enchiridion hermeneuticae biblicae.

[1] Willm, Histoire de la philosophie allemande depuis Kant jusq'à Hégel.

Annales de philosophie chrétienne.

Phillips, Histoire d'Allemagne sous le point de vue de la religion, du droit, et de la constitution. Berlin MDCCCXXXII.

Amand Saintes, Histoire critique du rationalisme allemand.

Histoire de la philosophie par Henri Ritter, Paris MDCCCXXXV.

edidit gemitus communis omnium nostrum parens ecclesia, cum tot filios una impiorum voluminum lectione a suis amplexibus divelli, suumque in sinum illa arma indoluit intorqueri, quae ad eius praesidium et tutamen erant capessenda? Nondum eius vulnerum est obducta cicatrix, nondum remisit dolor, nondum ex eius animo excidit, a fortuita librorum lectione Manethem foedos hausisse errores, qui africam, asiam, ausoniamque infecere [1]. Haeret alte animo defixa calamitas, cum summum pietatis et doctrinae in oriente iubar Bardesanem syrum memorat, qui cum insignem de religionis hostibus triumphum egisset, mox valentiniani voluminis lectione consilium in deteriora referens ad hostium castra descivit, plurimosque in ruinae societatem qua auctoritate qua scriptis pellexit [2]. Dolet etiamnum ecclesia, necdum quatuor et decem seculorum lapsu in asia deleta opprobria cladis ab Eutychete illatae, qui cum primo aetatis flore contra Nestorium in synodo ephesina strenue decertasset, eiusque ausus secunda ephesinorum patrum acclamatione protrivisset, aetate tandem devexus, et principis coenobii constantinopolitani antistes, nimium manichaeorum voluminibus oblectatus a veritate, quam propugnarat, defecit; et quamvis silere coactus, claustroque conclusus, libris tamen asiam modo non universam miscuit. Ingemit adhuc et Julianum halicarnasseum in Caria, et Avitum hispanum, alterum valentiniana,

[1] Theodoretus haeret. fabul. lib. I cap. XXVI.
Dictionnaire des hérésies.

[2] S. Epiphanius lib. II haeres. LVI (al. XXXVI).
Eusebius hist. eccl. lib. IV, cap. XXX.

alterum origeniana lectione in errorem prolapsos [1]; nec sine recenti dolore commemorat Henricum Bulingerum, qui adolescens pietatem bonarum artium laude cumularat, quique in religiosae familiae album referri vehementius expetierat, uni Melancthonis libro acceptam retulisse labem, quae eius moribus et fidei insedit [2].

Sed quid ego singularia persequor, de longe gravioribus sileo? Si Kiliastarum error per universas regiones orientis permeavit, nonne historia auspice et duce, Nepotis episcopi libris est crimini vertendum [3]? Si hispania, et lusitania in fide nutarunt, nonne hanc illis cladem Priscilliani scripta crearunt [4]? Si novissima aetate boemia ab avita fide descivit, nonne crimini dandum est Wiclephi libris ex britannia in eas regiones inlatis [5]? Enimvero si viri spectati et graves, qui doctrinam virtute exornarant, si inclitae, qua late patent, regiones suave Christi iugum detrectarunt, ecquam spem fovebimus, iuvenes armis ad religionem tutandam destitutos in eadem firmos permansuros? cum praesertim omnem erroris serendi, regionumque ab avita religione avertendarum fiduciam impii scriptores in iuvenum perversione constituant. Foedissimus ille senex, verbis utar Josephi comitis De-Maistre, ille veterator, ille

[1] Annal. Baron.
Bernino, Storia delle eresie.
Travasa, Storia degli eresiarchi.

[2] Narratio de ortu vita et obitu Henrici Bulingeri, auctore Josepho Semlero, Tiguri in Helvetia MDLXXV.

[3] Euseb. Hist. eccl. lib. VII, cap. XXIV.

[4] Ann. Baron.

[5] Aeneae Sylvii Pii II Historia Boemica cap. XXXV.

nocendi artium scientissimus Voltaire impudentissime gloriabatur, se suis scriptis novam europae progeniem, novas vices, nova fata daturum, adolescentiumque mentibus offusas tenebras vividiori veritatis luce victurum. Superiore seculo labente scriptor italus stulte, sed nimium vere vaticinabatur bellum religioni indicendum, sacris ęcclesiae administris avita iura eripienda: suaque volumina, quibus in sacerdotes resque sacras fuerat impotentius debacchatus, succrescenti iuventuti nuncupat, ut recentioribus ideis imbuta, sua ìura discat, et ecclesiae iugum noverit a cervice deiicere. Gaudeant itaque, sibi gratulentur, exsultent, et vesana gestiant laetitia impii scriptores, quod enim tot curis vigiliisque exoptarunt, iam sunt assequuti.

Erat italia religionis studio inflammata; in ecclesiae spem iuventus rectis temperata institutis adolescebat, suus religioni decor, suus sacris aedibus nitor, suum sacrorum administris obsequium, sua dignitas constabat. Pacis diuturnitas catholicae religionis auctoritatem novis americae, indorum, sinensium accessionibus amplificarat. Ut vero ab inferis vesanus furor erumpens quorumdam, qui sacrum philosophiae nomen sibi usurpantes suis eam scriptis dehonestarunt, mentes pervasit; hi sceleris foedere icto ad religionem pessumdandam ingenii opes contulere, nullumque ad optata assequenda praesentius adiumentum excogitarunt, quam structis ex libidine criminationibus fidem, fideique adsertores incessere, easque libris concreditas teneris adolescentium animis defigere [1]. Quid multa? Brevi in iuvenibus,

[1] Huius globi consensionis testis est Encyclopedia, testes Voltairii epistolae, testis historia.

Voltaire à Damilaville en mai MDCCLXI: « Courez tous sus

qui hisce erroribus imbuti ad omne nefas parati adoleverant, tantum in rem christianam odium exarsit, ut nihil ab eorum furore non foret extimescendum. Hinc mihi credite, auditores, illae turbae, hinc illa in religionem vesania, hinc illi motus, hinc illae turbulentissimae tempestates, hinc illud rerum omnium certamen atque discrimen. Per universam, qua longe excurrit, italiam ab alpibus ad Pachini metas personuit, et personat adhuc impia illa vox nefariis vulgata libellis: piscatoris successor ad fallendos hamo pisces redeat, retium iactu vitam exigat, piscatui insudet; sacri coetus procul facessant, sacerdotes sunto pauci, egentes, inglorii, dignitate viduati. Quid vero sceleris fingi, aut excogitari potest, ad quod aetate superiore, et ineunte hac nostra libellis concitam ira plebem ruisse non legimus? A gregibus sacri pastores abstracti, concreditum ovile luporum incursibus patens, coenobia dissoluta, religiosae familiae dissociatae, earumdem bona direpta, virgines Deo devotae ex avitis domiciliis ceu territae columbae exturbatae, viri aequitatis servantissimi, qui nefario sacramento sese

» à l'infâme habilement. Ce qui m'intéresse, c'est les progrès de la » philosophie, et l'avilissement de l'infâme ». Oeuvres de Voltaire tom. LVII.

A Saurin en octobre MDCCLXI: « Il faut que les frères réu» nis écrasent les coquins. J'en viens toujours là *delenda est Cartha» go* ». mêm. vol.

A Damilaville le 4 février MDCCLXII: « Engagez tous mes » frères à poursuivre l'infâme de vive voix et par écrit sans lui » donner un moment de relâche ». mêm. vol.

Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique tom. II seconde édition.

Histoire de France pendant le XVIII siècle tom. III.

devincire abnuerant, vel in dissitas plagas amandati, vel in vincula coniecti, vel ad supplicium indicta causa abrepti. Aeterni numinis laudes obticuerant, Dei nomen usurpare nefas, sacerdotes partim vestem mentiti fugam capessere, partim in latebris delitescere, templa impune expilari, et militibus hiemandis, aut equis stabulandis recludi. Sacrae imagines gladiis transfossae, et petulanti pede proculcatae; caelitum beatissimorum signa capite brachiisque imminuta, luto sordibusque inquinata, inter insanientis plebis clamores fune per urbium vias pertracta, vel flammis absumpta, vel in profluentem deturbata [1].

Quaedam nimis indecora praetereo, cum magistratus impio in Deum furore correptus impudentissimam muliérculam, quam rationis deam salutarant, in ara principe templi constituit, eique thus adolere, eamque votis et precibus ambire non exhorruit. Si haec non omnium oculis usurpata, neque litterarum monumentis fuissent concredita, ecquis duceret evenisse? Testis est gallia, in cuius gremio nequissima belli fax in Deum, Deique templa, aras, sacrique gregis pastores exarsit, quaeque nisi labente tempore esset restincta, omne pietatis vestigium stirpitus corripuisset. Testis germania, plagaeque ad aquilonem versae venenata librorum colluvione a fide desciscentes. Testis hispania a pietate, quam tot annorum lapsu impensius coluerat, ad omne nefas dilapsa. Testis italia, quae belli incendio aestuans tot summos viros religionis studio flagrantes, ob eamque causam in invidiam vocatos, extorres in finitimis insulis

[1] Barruel, Histoire du clergé, pendant la révolution française. Histoire de France pendant le XVIII siècle.

calamitatis finem praestolari conspexit. Testis haec urbs sedes veritatis et magistra, quae suo orbata parente indoluit, eumque primo Vindobonam ad latens fidei excidium avertendum, exinde in exsilium rapi, ibique aetate aerumnisque confectam vitam cum morte commutare non sine lacrimis audivit [1]. Testis iterum haec urbs, quae novum pastorem, et augustum patrum cardinalium senatum ab iis fluctibus ingemuit abreptum, qui in europam universam redundarunt [2]. Et dubitamus adhuc, auditores, quin hae calamitates ab uno pravorum librorum fonte profluxerint, cum easdem multo ante europae a noxiis libris impendere sapientissimi viri divinarint? Exstant adhuc universi galliarum cleri expostulationes, quibus a Ludovico quintodecimo efflagitarunt, ut impendens exitium a religione, a capite, fortunisque civium arceret [3]. Exstat adhuc vehemens et gravis tertiidecimi Clementis epistola, qua divina mentis praesensione pastores orbis catholici hortatur, ut concredito gregi prospiciant, neve socordes sinant, eius mores noxia lectione tabescere [4].

At vero nequeo oblivisci, me apud eos iuvenes verba habere, quorum animis alte inditus religionis amor me in spem bonam certamque erigit, quod contendo, assequendi. Itaque ut accedam ad id, quod mihi extremo loco dicendum proposueram, et quo uno omnia aequitatis et sapientiae

[1] Baldassarri, Avversità e patimenti di Pio VI.

[2] Pacca, Memorie storiche.

[3] VI idus octobres an. MDCCLVIII.

Senatus parisiensis VIII id. febr. an. MDCCLIX legem tulit qua poenis animadversum foret in impiorum voluminum auctores.

[4] *Christianae rei publicae salus* VII Kal. dec. MDCCLVI.

iura continentur: ecclesia legem tulit, nequis libros, quibus fidei moribusque creari posset periculum, legat, et haec infringentes scita a suo sinu et amplexu divellit: sic paucorum poena incolumitati communi consultum satis et provisum est. Ecquis non tenerae parentis curam agnoscat? ecquis non diligat? ecquis eidem obsequi studio impensiore detrectet? Veniant modo irrisores huius legis atque instituti, nobisque illudant, quippe qui hoc iugum, ut eorum fert sententia, recens muti deiectique subeamus. At primum ab ipsis quaero, numquid legi, quia recens est, non parendum? Nonne omni bene moratae, aequisque legibus florenti reipublicae solemne semper fuit, novis morbis novam adhibere medelam, malaque ingruentia recentium legum constitutione cavere? Deinde nobis edisserant, quanam historia, quibusnam nixi argumentis morem hunc avitis ecclesiae aetatibus ignotum affirmant? Neminem vestrum fugit, magnum illum animi maiorisque consilii virum Paulum III, quem ecclesiae universae bono et natum et vixisse uno omnes ore historici fatentur, Romae litteris publicis coetum constituisse, ut dispiceret, ne quid ex pravis libris christiana respublica caperet detrimenti [1]. Id quoque cavit mens provida patrum Tridenti conscriptorum, qui munus nocentes libros in album referendi octo et decem patribus mandarunt; hic vero labor Tridenti inchoatus Romae tandem exitu secundo est absolutus [2]. Cum vero pravae

[1] Constit. *Licet ab initio* XII Kal. aug. MDXLII.

[2] Pallavicini, Storia del concilio di Trento lib. XV, cap. XVIII, e lib. XXIV, cap. VIII.

Pius IV constit. *Cum pro munere* die XXIV mart. MDLXIV; constit. *Dominici gregis* eodem die et anno.

stirpes in horas singulas magis magisque adolescerent, catholici orbis moderator et rector Pius V operae pretium duxit, alium ex probatis lectissimisque viris conventum creare, qui ab indice suum nomen est auspicatus. Quam societatem sanctissimo iure constitutam, Sixtus quintus, et Clemens octavus, omniumque maxime Benedictus quartusdecimus novarum legum accessione firmarunt [1]. Ergo si de nomine et forma legis quaeritur, eam non diffitemur recentem, sin de re, eam cum ecclesia et ortam et adultam non dubitanter confirmamus.

A nostrae enim religionis incunabulis tam acre in pravos libros odium exercitum est, ut ad apostolorum pedes impia volumina flammis absumenda certatim conferrentur [2]. Quid memorem nicaenos patres, quorum suffragiis impia Arii volumina anathemati devota, eiusque asseclis est sacris interdictum? cui concioni cum Constantinus imperator adfuisset, capite plectendum sanxit, si quis patrum suffragiis parere detrectasset. Quid referam synodum constantinopolitanam primam, quid ephesinam, quarum altera Aetii libros, altera Nestorii scripta solemni patrum consulto improbavit; cui iudicio ab utriusque Theodosii auctoritate robur accessit? Quid chalcedonensem conventum Eutychetis scripta damnantem; quae suffragia Valentinianus, et Marcianus imperatores augusti, exsilii perpetui poena sanxerunt? Quid

[1] Sixtus V constitutione *Immensa aeterni Dei* XI Kal. feb. MDLXXXVII.

Clemens VIII constit. *Sacrosanctum* die XVII oct. MDXCV.

Benedictus XIV constit. *Sollicita ac provida* VII id. iul. an. MDCCLIII.

[2] Act. apost. cap. XIX.

Ibae epistolam, Theodoreti scripta, Anthymi libros a synodo V proscriptos percenseam; in quam sententiam et Justinianus imperator descendit, et manum iis praecidendam iussit, qui animadversa volumina exscripsissent? Praetereo synodum VI, et VII, in quibus lata lex est, ut gradu deiiceretur, si quis seu maiori seu minori fungens sacerdotio illos libros celaret; reliqua vero multitudo sacris arceretur. Quid romanos pontifices in hac lue arcenda perpetuo studio adlaborantes memorem? Vultisne a Leone Magno exordiar, qui urbem hanc a Manethis asseclarum erroribus sensim serpentibus sospitavit? Num a Symmacho, num ab Hormisda, aut Gelasio, quorum postremus, septuaginta antistitum coacto conventu, libros pravos in album recensuit eorumque lectione fidelibus interdixit? Sed tacitus praeterire tempus illud nequeo, cum Hadrianus secundus, in synodo sententia patrum rogata, Photii e sede constantinopolitana deturbati librum, quo in romanam sedem fuerat debacchatus, pedibus adstantium proculcatum iussit concremari [1]. Novissimis vero temporibus Leo X vocem contra Lutherum extulit, qua voce sacri praesules excitati, et Leonis exempla sectati eius libros ultricibus flammis devoverunt [2]; furente incassum Luthero in impio libello, cui nomen « Adversus exsecrabilem antichristi bullam » [3]. Itaque vere dici

[1] Annal. eccl. Baronii.

[2] Leo X const. *Exurge Domine* XVII Kal. iunias an. MDXX pont. an. VIII.

Annal. eccl. Oderici Raynaldi sub exordium sec. XVI.

[3] Colligi cogitatione vix potest, quot diras in Leonem X P. M. evomuerit rusticus hic scurra popinam totus inhalans.

Operum Martini Lutheri tom. II. edit. Jenae an. MDLVII.

potest, perpetuum in usum hanc legem omni aetate fuisse deductam.

Quid ad haec adversarii? Quo se vertent? tenentur undique. At enim obganniunt, ingenitae libertati lex haec adversatur. Desinant aliquando impii homines, nobis hoc sanctissimo nomine illudere, desinant suos errores huius vocis dignitate honestare. Quid est enim libertas? num vivendi ex libidine potestas? num legum, quibus religio et societas stat, nullo poenarum metu contemptus? Nonne ratione duce et magistra docemur, mala quibus privatorum mores, rei publicae tranquillitas, et ordo periclitantur, arcere? nonne conscientiae stimulis deterremur, quominus in impuris, morumque et religionis candori officientibus paginis obtutum defigamus? Quae vis athenienses impulit, ut Protagorae libros de numinum existentia subdubitantes flammis in solemni populi concione abolerent [1]? Quae vis M. Attilium praetorem adegit, ut Romae per praeconem nova quaedam volumina pristinae quiritium religioni adversantia undique contraheret, combureretque [2]? Romae, Lucio Spurio Posthumio consule, lex de sortilegis libris concremandis lata, cuius legis vim, Tito Livio auctore, discimus [3].

[1] « Protagoras Atheniensium iussu urbe atque agro est exter» minatus, librique eius in concione combusti ». Cicero de natura deorum lib. I, cap. XXIII.

[2] Praetoris edictum « Libros omnes vaticinos, literasque ad » se ante calendas apriles deferrent ». T. Livius lib. XXV. 1.

[3] Consulis verba in senatu « Sacrificulos foro, circo, urbe ex» pellerent, vaticinos libros conquirerent, comburerentque, omnem » disciplinam sacrificandi, praeterquam more romano, abolerent ». Id. lib. XXXIX, num. XVI.

Hac ipsa in urbe, Caesare Augusto rei publicae habenas moderante, bis mille nocentium voluminum in rogum coniecta [1]. Desinant ergo veteratores vaferrimi, quod graecis et quiritibus laudi dant, id crimini christianae religioni vertere.

Sed finis sit. Temporis enim usura me monet, ne vestra diutius humanitate abutar: longiorem enim orationem materies, breviorem sapientia vestra postulabat.

Quocirca ingenui, bene morati, europae universae flos et spes, adolescentes, quorum causa haec a me dicta sunt, vos extrema oratione compello. Vobis, qui in rei litterariae, et severioris doctrinae stadio desudatis, accessiones pietatis, et scientiae publicis mandatas litteris, praemiisque honestatas gratulamur, et quibus gaudemus partis, easdem exoptamus manentes. Ne, quaeso, ne vos, o meae animae, meumque delicium, a tramite arrepto deturbent impiorum consilia, qui vobis vel invitis noxia volumina obtrudent. Vestram illis fidem, vestrum in religionem studium obiicite. Quo pede coepistis, currite, quibus auspiciis studia inchoastis, absolvite. Graecorum patrum disertissimi, cui ab eloquii dignitate aureum est partum agnomen, sententiam vestris alte animis figite, sermonibus identidem usurpate, re exprimite: « Miles es Christi? obarmare: pu» gil es fidei? macte virtute » [2]. In medio posita omnibus

[1] « Postquam pontificatum maximum Augustus suscepit, quid» quid fatidicorum librorum graeci latinique generis nullis vel pa» rum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia con» tracta undique concremavit ». Svetonius in Augusto num. XXXI.

[2] *Στρατιώτης εἶ τȣ̃ Χριϛȣ̃; ὁπλίζω: ἀθλητής εἶ γενναῖος; ἀνδρίζȣ*. S. Joannis Chrysostomi homilia in S. Barlaam martyrem.

laurus, in medio palma. Pulcrum et decorum est pro aris, pro fide, pro Christo dimicare, pulcrius vincere, cum immortalitate coaequandum, si quis hostium ausibus protritis, vitamque pro religione paciscens aeternum ecclesiae tropaeum constituerit.

DE SACRIS PEREGRINATIONIBUS

ORATIO

HABITA IN COLLEGIO LAURETANO SUB EXORDIA STUDIORUM KALENDIS DECEMBRIBUS AN. MDCCCXXXIX.

Quod a Deo optimo maximo, caelitibusque universis, auditores quotquot me vestra honestatis praesentia lectissimi, fueram plus vice simplici precatus, ut augustiora rei christianae monumenta meis daretur oculis usurpare, id mihi non humano consilio, sed superno numine video ineunte hoc anno obtigisse. Itaque sensi novo neque ante id temporis percepto pietatis motu animum pertentari, cum domum Virginis hospitam eminus aerium tholi caput attollentem advena sum conspicatus, cum beatos postes cominus instili, sacrisque oscula fixi parietibus, quos alma Dei parens eiusque aeterno coaeva Patri proles in vitales auras elata diu coluere [1]. O ante alias quas aspicit sol, oras beata piceni littoris plaga, quae domi servas Nazareth,

[1] Quos alma domus cieat affectus, testis sit omnium instar M. Antonius Muretus latina venustate et copia ad aureae aetatis scriptores quam proxime accedens.

« O caelo dilecta domus, postesque beati,
» Quos ego iampridem tota mihi mente cupitos,
» Nunc primum veteris voti reus advena viso,
» Salvete, adspectique mihi feliciter este!
» En ego iam supplex procumbam atque oscula figam
» Parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere crines. »

Carmine ad B. Virginem in aede lauretana.

Christique Servatoris calcas vestigia! Iacent, nec invideo, iacent aliae urbes cyclopia moenia ausu pelasgo exstructa [1], efferant perantiqua constitutae civitatis iura, ostentent amphitheatra, circos, aegyptiis incisas notis pyramides, columnas rostratas, e marmore constituta tropaea; praedicent stratas secto lapide et in longum abeuntes vias, moles in altum iactas et portuum ostia bene fida ratibus, sublimes arcus honorificentissimis senatusconsultis victorum nomini excitatos: indigetum fana, consulum basilicas, frontes templorum etruscis decoratas artibus, acroteria, peristyla lemniscis, et camillis doricis aut corinthiis ornata, numquid vestrae se ausint urbi conferre? Sunt haec enimvero avitae virtutis argumenta, artium florentissimarum exempla, posteritatis praecepta, mutae quaedam historiae narrationibus scriptorum longe firmiores. Sed quantum humana divinis, fluxa aeternis, gloriolae praeterlabentis aura incerta veritati, religioni superstitio subest, tam lato discrimine reliqua terrarum quot sunt quotquot fuere decora urbi vestrae decedent. Ad ea aspectanda cernere est in dies inque horas singulas germanos, anglos, gallos, ab extrema americae plaga devectos, qui Tanaim, qui Tamesim, qui Vistulam, quique Istrum bibunt, confluere, et modo in oris et corporis conformatione Laocoontis anguineo nexu cum filiis impliciti, modo in hilari innubique fronte Apollinis e Martiae caede reducis, modo in

[1] Cyclopia monumenta quos ferant auctores, vide Petit-Radel, Recherches sur les monuments cyclopéens,
Nibby, Viaggio antiquario da Roma,
Canina, Monumenta antiquitatis.

glaucis atticae Minervae oculis, modo in soluto et expedito gressu Mercurii alipedis nuncii, tam acri defixos obtutu, ut eos stupore in marmorea signa versos diceres. Atque utinam idem omnes studium corriperet nobilissima christiani cultus monumenta prece et votis ambire! fides et pietas efferrent se aliquando et revirescerent. Itaque cum extrema hac tempestate perspicerem aegyptiae, graecae, etruscae, latiaeque vetustatis vestigia, quanta fieri potest maxima animorum contentione disquiri, viarumque labores, extentis finibus pererratis, effusosque sumptus in iis et cognoscendis et lineari pictura describendis hauriri; cumque meas nimium saepe aures obtunderet, muliebris parvique animi esse, rudiorisque aevi reliquias, ad sacra rei christianae monumenta iter moliri; patientiae modum censui ponendum, et causam quae nobis cum bonis omnibus communis est, data occasione vindicare. Huc accedit, quod meus ad vos adventus aliquam grati piique animi significationem adversus augustam Dei parentem, praesidium piceni, auspicem urbis lauretanae, praestitem huius post tantas rei publicae labes reviviscentis collegii prope suo iure efflagitabat [1]. Quocirca peto a vobis, ut ad me sacrae peregrinationis ineuntem vindicias, suaque Christi religioni sanctissima iura asserentem vestra voluntas accedat.

Primum omnium non plane teneo, qua fronte, quove rationum obtentu religionis hostes, ceterique male de re christiana sentientes ausint inter aetatis incultioris usus

[1] Leo XII P. M. maximi vir animi consiliique collegium illyrico-picenum rei publicae calamitatibus perdiu attritum erexit, et societati Jesu concredidit an. MDCCCXXVI.

sacras excursiones amandare. Ecquid sòdes censoria taxandum nota existimant? num e patriis finibus demigrandi morem? at parvi se animi, omniumque aetatum instituti nescios produnt. Num a pietate id alienum ducunt? at eodem sese obstringunt, quod reprehendunt crimen. Dissitas enim regiones obire tum animi causa, tum ad hominum mores et studia discenda, tum ad hostiles ausus perfringendos, sociosque ad officium revocandos, sive ad quaeritanda compendia, mercesque et coemendas et commutandas, sive ad artium optimarum opes congerendas, sive ad ingenium telluris tentandum, eiusque varios legendos fetus, nullo non tempore in more institutoque maiorum positum novimus. Memoriae proditum est, Alexandrum macedonem cum asiam minorem victoriis peragraret, cumque Troadis oram legeret, Sigeum data opera conscendisse, ut Achillis, cuius res gestas in homerico carmine suspexerat, tumulum conspiceret, mutumque cinerem aemulae virtutis suspirio donaret. Quid plura? Quos magna graecia iactat, sapientes syriam, chaldaeam, indorum urbes, initis plurium annorum itineribus lustrabant, ut doctiori cuique aures darent, peregrinas arriperent doctrinas, domumque opimis scientiarum mercibus onusti remearent. Fuit haec olim, fuit Athenarum laus, cum legum sanctitate bonarumque artium nobilitate florerent, ut nemo discendi cupidus adolescens non sibi ad illud philosophiae et eloquentiae domicilium contendendum duceret. Hinc Hortensius eloquii famam, hinc M. Tullius eamdem gloriam Hortensio praereptam, hinc M. Cato morum disciplinam, hinc T. Pomponius non cognomen modo attici, sed humanitatem et atticos lepores deportavit. Et vos philosophi, quos heic honoris ergo

nomino, cuinam nomen vestrum ferre acceptum nisi Pythagorae peregrinanti debetis? Cum enim Phliuntem venisset, cumque plura docte et copiose disseruisset, quaesissetque ex eo Leon phliasiorum princeps, quam profiteretur artem, et in qua sese exerceret, permodeste quidem sed vere respondit, se nec sapientem, nec sapientiam, sed sapientiae potiundae studium et cupiditatem profiteri: hinc factum, ut quotquot ad veri vestigationem se conferant, honestissimum a philosophia teneant nomen [1]. Eccuius ad aures Plinii senioris non est illapsa fama, qui naturae scrutator et vestigator, huius viscera pertentavit, lapidum agnationes et necessitudines rimatus est, florum fruticumque familias, connubia, foetus, quid quaeque ferat quidve recuset regio, accurate est persequutus, vitamque ipsam cognoscendi studio posthabuit? Cum enim in Baiarum tepentibus scatebris rusticaretur, cumque Vesevus horrificis immugiens ruinis cineream nubem, flammarumque globos evomeret, ruptisque fornacibus ignitum flumen eiectaret, cumque cives, advenae, accolae metu exanimes diffugerent, senex periculi immemor phaselum conscendit, in igniti montis crepidine exponitur, audacter accedit, nec instantes ignis vortices, nec liquefacta saxa eiaculata expavescit: sed qui dies eius votis cumulum imponere debebat, posuit et vitae. Dum enim sulphurea grando, pulvereusque imber praecipitat, Plinius crassiori caligine spiritu obstructo enectus est [2]. Usque eo discendi illum cupido pellexit! Quod iter

[1] Cicero, Tusculanarum disputationum lib. V, num. III.
Diogenes Laertius in Pythagora.
Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. IV.

[2] Plinii senioris exitum attigit Plinius iunior lib. VI, epistola

longe laetioribus auspiciis non ad Vesevi modo, sed ad aestuantis Aetnae, aeoliarumque insularum viscera aggredi, nec duris fracto laboribus animo prosequi, et maximo rerum physicarum compendio absolvere, in laude censendum est redivivo Plinio, naturae legum peritissimo Lazaro Spallanzani, qui vertente anno MDCCLXXXVI eorum montium scrobes, saxa, arenas, fornices, fundoque imo exaestuans sulphur tum disserendo, tum imagine aere expressa europae demiranti obtulit [1].

Sed quorsum haec? ea mente, ut teneatis, quam iniquo in rem christianam sint animo, qui commendatione et laudibus hos viarum obitos labores efferunt, eosdem pietatis ergo initos risu dicteriisque incessunt. Ecquis non stomachetur, ecquis tam impudentem non aegerrime ferat audaciam? Licuit omni aetate Cestii pyramidem, Caeciliae Metellae turritum monumentum, Titi Vespasiani victoris arcum, Traiani et Antonini columnas historicis exornatas signis invisere; licuit Memphim, Thebasque contendere, provincias Nili fluentibus intersectas obire, aegyptia delubra, statuas, arentia et exsucca corpora liquore torrente illita, linteoque pelusio obligata conquirere, mentemque maiorum ex inscriptis volucrum, anguium, hominumque formis discere; licuit extremas oceano penitus divisas oras lustrare: templa autem Dei vetusto saxo structa impune non licebit adire?

Ecquodnam autem tantum nefas, aut immane scelus

XVI ad Tacitum missa: contra ea alii lucis usura a servis eum spoliatum ferunt.

[1] Lazaro Spallanzani, Viaggi alle due Sicilie, Milano MDCCCXXVI.

in sacris hisce decursibus homines solertissimi vident? Patientes eorum strophis aures commodemus: quid tanto hiatu concrepent, accipiamus: utque teneatis, me vim eorum, quae obiecta sunt, non elevare; quid auctores, et cohortis nequissimae primipili, quos gregariorum vulgus ceu ignavum pecus subsequitur, ferant, in apertum prodam. Luterus itaque, quo magistro et parente serviles impii cultus compedes sese exuisse gloriantur, cui bono, inquit ira concitus in Ambrosium Catharinum rei christianae in tridentino conventu vindicem, crebrae dissitaeque excursiones ad templa, arasque Mariae? quid vota, votivaque itinera? Oh stultum et excors vulgus, quid diem conteris et operam [1]? Probrum est, et scelestum facinus, quod rem christianam dedecorat, impotentius rabidoque ore latrat e genevensi academia Calvinus, sese in longas dare vias, aliamque prae alia aedem venerari [2]. Qui sacro se devovent itineri, sic alias super alias acervant querelas Magdeburgenses, una ara, uno templo, uno telluris angulo Deum concludunt, et invitum ceu in vincula custodiasque detrudunt: nonne omni te labe immunem praestabis, purioremque prae te religionem feres, si aeternum numen nullis arctatum spatiis sive frequentissimis in urbibus, sive medio deprehensus mari, sive rura inter et silvas advoces in vota, manusque ad Deum supplices tollas [3]? Eadem saeculo IX ineunte Claudius taurinensis, eadem XII Henricus tolosanus, eadem saeculo XIV

[1] Martinus Luterus, Responsio ad librum Ambrosii Catharini, Operum tom. II edit. Jenae MDLVII.

[2] Joannes Calvinus, Institutiones christianae religionis lib. IV, cap. XIII, num. VII, Oper. tom. IX Amstelodami MDCLXXI.

[3] Centuria VI cap. VI, Centuria VII cap. X.

Wiklephitae occinuerunt. Omnis itaque ratiocinationis tramies ad hoc caput revocatur: Deum cuncta suo numine complere. Nos vero hoc damus: ad hoc ratione ducimur, natura agimur, fide edocemur, omnium sapientium voce monemur. Quid ergo? Demoliendane templa, solo exaequandae arae, nullus, ubi sacris Deum places ritibus, eique re divina lites, superstes erit locus? Numquid integrum Deo non erit sedem sibi alicubi praeoptare, ubi splendidiore cultu sacra peragantur, divinae assonent laudes, ad caelestia animi coeuntium flectantur, sacer ad concionem minister ascendat, virtutisque semitam sternat; ubi Deus vocatus adsit, oculos ad lacrimas orantium volvat, et benignas supplicibus aures applicet? « Deus, vocem extollit » vates caelesti plenus numine, Deus in templo suo, sileat » coram eo omnis terra [1] ».

Nefas est, inquiunt, sacra aedium limina peregrinando adire, cultumque certis definire limitibus. At edisserant, quaeso, curnam hebraeis solemne pesach, quod syris sonat pascha, nonnisi in foribus templi hierosolymarii fas foret immolare [2]? Curnam tribus per anni orbem redeuntibus

[1] Habacuc II, 20. Ut plenius vim sententiae teneamns, lectio hebraea ita fert. « Et Dominus in templo sanctitatis suae: sile a » faciebus eius omnis terra ».

Graecus interpres vertit: « Ἐυλαβείσθω ἀπό προσώπȣ αὐτȣ̃ πᾶ- » σα ἡ γῆ ». « Adoret coram vultu eius omnis terra ».

Syrus legit « trepidet a conspectu eius universa terra ».

Arabs vertit « vereatur a facie eius universa terra ».

Paraphrastes caldaeus « Dominus autem voluit collocare maie- » statem suam in templo sanctitatis suae, a cuius conspectu consu- » mentur omnia idola terrae ».

[2] Deuteron. XVI, 2. « Immolabisque phase Domino Deo

festis omnes viri solymum templum adire, Deumque supplici prece ambire debuerunt [1]? Nonne Jacob mystico experrectus sopore Deum suo numine eo loci adstantem sentit, eique aram saxo structam excitat, oleoque oblinit: eique regioni sacrum condit nomen Bethel, domum Dei, veteri abrasa voce Luza, quae vox amygdalum sonat [2]? Quot vota quove studio erga Dei domum regius psaltes concipit, eiusque futura decora caelesti exsultans laetitia conspicatur [3]! Quam humili, supplicique prece in solemni templi inauguratione usus Salomon! ut benignas oranti dedit aures Deus, nebula templum obnupsit, numinis maiestate complevit, ignique caelitus delapso hostias absumpsit! quae uberiora expeti queunt promissa, quam quae Deus per noctem Salomoni adstans spopondit? se in fidem recipere populum, qui in aede sancta oraverit, suas aures eorum votis patere, suosque oculos ad eos verti, qui sedis domiciliique sui limen intrarint [4].

» tuo de ovibus, et de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus » tuus, ut habitet nomen eius ibi ».

Et vers. 5 eiusdem cap. « Non poteris immolare phase in qua» libet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi:

» Sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet » nomen eius ibi ».

[1] Deuteron. XVI, 16. « Tribus vicibus per annum apparebit » omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem » elegerit: in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, » et in solemnitate tabernaculorum ».

[2] Genes. XXVIII, 16, 17, 18, 19.

[3] Psalmis, V, XIV, XXIII, XXVI, L, LXXVII, LXXXIII, CXV, CXXI, CXXXI, CXXXVII.

[4] III Regum, cap. VIII, et IX.

II Paralip. cap. V, VI, VII.

Quid ad haec adversarii? quos suo obtendent colores errori? Aut enim aliam, ac Christus constituit, religionis rationem et formam inducant, aut sua de sententia abscedant necesse est. Auctor siquidem, et rei christianae constitutor Christus, cum nondum excessisset e pueris, Solymam nutricio et matre comitantibus contendit, templumque solemni Patrem supplicatione placaturus adiit. Perbeati illi dies, unde auspicatissimum christiana duxit exordium religio, nonne omnium honestissima sunt peregrinatione exorsi? Cum novo sidere novum signante iter tres viri qua genere, qua doctrina, qua dignitate principes, composito sabaeis e plagis digressi, ad Christi vixdum in auras vitales editi stramineum praesepe supplices procumbunt, eumque auro regem, myrrha hominem, thure Deum fassi, fidei prae se primitias tulerunt. Quid ego evangelii praeconem et vindicem Paulum loquar, qui moras sibi in itinere nexas abrumpens Solymam concito cursu contendit, ut solemnibus pentecostes adforet [1]?

Ne quis vero effugii sit super locus adversariis, suffragia ineamus, testes edamus, mentem patres sanctissimos rogemus, in quam si omnes coeant, nae causam tenuimus [2]. Itaque vos vos appello, quos doctrinae et sanctitatis lumina posteritas sera suspicit, vos, quibus nec ad veritatem perscrutandam ingenium, nec animus ad tutandam defuit,

[1] Act. XX, 16.

[2] Cum patrum in idem inclinant sententiae, ab iis abscedere nefas esto. Hoc premit argumento Julianum Augustinus. « Non » omnium de hac re sententias commemorabo, sed ponam pauca » paucorum, quibus tamen nostri contradictores coguntur erube- » scere et cedere. » Adversus Julianum lib. I, cap. III.

vos qui effrene vivendi genus qua voce qua scriptis coercentes hominum mores a vitiis ad virtutem traduxistis, lateque serpentes errores stilo vindice coarguentes integrum Christi disciplinae decus asseruistis: vos inquam edicite, nefasne sit, obita peregrinatione ad nobiliores orbis christiani aedes contendere? Audire mihi videor graecorum disertissimum pontificem Joannem aureo eloquio confertissimae concionis aures demulcentem, nobilisque animi sensus hisce verbis efferentem. Oh utinam annis attritae, morbisque conflictatae vires sinerent, neve gregis concrediti gravioribus curis distinerer, alacer viam corriperem, gressuque propero evolarem ad carcerem regali aula augustiorem, ubi ferreo revinctus compede athleta Christi Paulus libero ore fidem est tuitus! Quam vellem iisdem colla manusque insertare nexibus, osculaque iis libare, gremioque sancta fovere vincula gemmeis monilibus longe nobiliora. Si mihi integrum foret, praeoptarem cum Paulo vincto in eadem tenebricosa custodia squallere, quam caelestium choris interesse [1]. Humilis, pisciumque venatu vitam trahentis Petri tumulum, subdit Augustinus, prono vultu, inque genua provoluti colunt reges, ad gelidum marmor posito diademate procumbunt supplices, dum Caesarum tumuli squallore et situ tabescunt, exesique vetustate fatiscunt [2]. Nec satis: cum in sacro hipponensis ecclesiae coetu alter alteri obtrectasset, famamque laevo rumore obtrivisset, non inultos eos dimisit Augustinus, iterque

[1] S. Joan. Chrys. hom. VIII in cap. IV ep. ad Ephesios num. I, II, oper. tom. XI edit. maurin.
[2] S. Augustinus ep. XLII, oper. tom. II, edit. plantin.

ad s. Felicis nolani cineres ab utroque iussit institui, ut ex ancipiti causa, quam ultro citroque agitatam nullis componere testibus quiverat, exiret [1]. Quas verborum faces non admovet Basilius, ut ponticae regionis antistites intermissum ad martyris Christi Eupsychii tumulum integrent iter, natalique eius festo intersint [2]? Quibus parcit hortatibus, ut se monstrante se ineunte viam desides excitet [3]? Qua vero effertur laetitia, quibus gaudiis cumulatur, cum civitas moenibus effusa ad martyrum tumulos extra pomerium solemni pompa glomeratur, cumque hinc illinc stipati conventus hymnis, plausibus, epulis, piaeque indulgentes hilaritati diem festum agitant [4]? Quid Gregorium, cui a Nazianzo nomen, memorem, quid Gaudentium brixianum pontificem loquar? quorum alter quo animi candore, qua fide, quove virtutum comitatu ad martyrum tropaea sit accedendum edocet [5]; alter vero Hierosolymam pietatis ergo contendens, Caesareae, a sanctissimis virginibus Basilii magni neptibus, pretiosis quadraginta martyrum lypsanis donatus, simul ac Brixiam se recepit, amplissimam excitavit aedem, marmoreaeque arcae sacra pignora credidit [6].

Itaque ne plura, quae sunt modo non innumera, ex

[1] S. Augustinus ep. CXXXVII tom. II eiusd. edit.

[2] S. Basilius ep. CCLII ad episcopos Ponti, oper. tom. III edit. maurin.

[3] Id. ep. XCV ad Eusebium Samosatorum episcopum, tom. eod.

[4] Hom. XVII in Barlaam martyrem, hom. XVIII in Gordium martyrem, hom. XIX in sanctos quadraginta martyres, tom. II, eiusd. edit.

[5] Oratione XXIV in S. Cyprianum martirem, ed. maur.

[6] S. Gaudentii brixiani episcopi sermo in dedicatione Basilicae concilii sanctorum.

omni antiquitate contraham documenta, hoc maneat, sacris ad martyrum caelitumque beatissimorum monumenta obitis peregrinationibus pietatem refoveri, religionis vires innutriri, mentem in virtutum studio obfirmari, nobiliores adversus Deum affectus exseri latiusque explicari, in spem veniae firmiorem animos adduci, concretas mentis labes elui atque emaculari, Deumque in supplices indulgentiorem supernis peregrinantes remunerari muneribus [1]. Quod si cui mens conflictetur difficultatibus, qui fiat, ut Deus aliam praeter aliam aedem benigno despiciat lumine, uberioribusque ornet muneribus: nae is secum reputet, non haec sine arcana vi Dei abditoque numine contingere, qui amplioribus praemiis fidem advenarum muneratur [2]. Hinc illi ad sacras Palaestinae plagas omni aetate, dissitisque e regionibus concursus, tam vehementi pietatis studio initi, ut quid sibi e fide decedere ducerent, nisi sese in vota precesque iis in oris effudissent, ubi Christus Dominus instituit, suoque cruore abruptum Deum inter et homines

[1] Haec pleniori orationis ambitu persequitur Chrysostomus homilia in sanctos Juventinum et Maximinum martyres, oper. tom. II edit. maurin.

[2] Hanc perrumpit difficultatem Augustinus his verbis: « Quis » potest consilium Dei perscrutari, quare in aliis locis haec mira- » cula fiant, in aliis non fiant? multis notissima est sanctitas loci, » ubi beati Felicis nolensis corpus conditum est. Numquid non et » africa sanctorum martyrum corporibus plena est? et tamen nus- » quam hic scimus talia fieri. Sicut enim quod apostolus dicit, non » omnes habent diiudicationem spirituum; ita nec in omnibus me- » moriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicui- » que, prout vult ». Ep. CXXXVII ad clerum et populum hipponensem, oper. tom. II edit. plantin.

foedus icit [1]. Hinc ad Petri et Pauli cineres, sacraque apostolorum limina, regum angliae, germaniae, galliae, reique christianae antistitum nullo non tempore accessus [2]: hinc ad s. Jacobi in gallaecia, ad Michaelis angelorum principis in monte gargano, ad s. Felicis in campanis oris, ad s. Martini turonensis, ad sanctae Dei Parentis in hungaria, in bavaria, in brabantia, inter praerupta alpium iuga, nobilissimas aedes itinera instituta, omnium gentium litteris monumentisque consignata.

At enim haeretica lue afflati homines ne causa, quae conclamata est, penitus cadant, pauculas e Hieronymo decerptas sententias oggerunt, a quibus suo patrocinium

[1] « Adorasse ubi steterunt pedes Domini pars fidei est, et » quasi recentia nativitatis et crucis et passionis vidisse vestigia ». Hieronymus ep. XLVI ad Desiderium, oper. tom. I edit. Vallarsi.

Quot vero catervatim iter ad Palaestinam agerent, liquet ex eodem Hieronymo. « Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad » praesentem diem per singulas aetates currere, qui episcoporum, qui » martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere » scientiae, nec summam ut dicitur manum accepisse virtutum, nisi » in illis Christum adorassent locis, de quibus primum evangelium » de patibulo coruscaverat. Quicumque in gallia fuerit primus, huc » properat, divisus ab orbe britannus, si in religione processerit, » occiduo sole dimisso, quaerit locum fama sibi tantum, et scripturarum relatione cognitum. Quid referamus armenios, quid persas, » quid indiae, et aethiopiae populos, ipsamque iuxta aegyptum fertilem monachorum pontum et cappadociam, syriam, caelen, et » mesopotamiam, cunctaque orientis examina? » Ep. LXVI nomine Paulae et Eustochii ad Marcellam, oper. tom. I edit. Vallarsi.

[2] Beda, Historia ecclesiastica gentis anglorum.

Baronius, Annales ecclesiastici.

petunt errori [1]. Sed attritam hominum frontem miramini, auditores. Quis enim bethlemicum adeundi specum acriori correptus studio, quam Hieronymus? quem nec urbis deliciae, nec amplissimae dignitatis spes, nec amicorum hortatus et lacrimae detinuere, quominus ad Christi Domini cunas, abruptis necessitudinum vinculis, praepes evolaret? Quid Hieronymo ad sanctum praesepe, quod Christi infantis vagitibus assonuit, plorante beatius, qui insomnes noctes rerum divinarum dulcedine delibutus sub exesae rupis fornice exigens, animo gaudia caelitum aequabat? Quibus texit hortatibus epistolas ad Desiderium eiusque sororem Serenillam, ad Marcellam, ad Rusticum, ut omni rei familiaris cura posthabita, nullaque interiecta mora, ad Palaestinam iter corripiant, suaeque indulgeant pietati! Paulae vero feminae lectissimae et optimati vertit laudi, quod in suspiria et lacrimas effusa Christi Servatoris tumulum, et cunas coluerit, eiusque in Calvarii et Oliveti iugis veluti recentia vestigia fuerit suaviata [2]. Improbat, haud eo inficias, et pervellit Hieronymus vagos inanesque vel ad sacras aedes excursus, cum praesertim aut a vitae ratione, atque instituto absint, aut innocentiae labem et ruinam possint inferre. Hinc Paulinum, qui avitis opibus affluens nuncium humanis rebus remiserat, monachumque agebat, dehortatur Hieronymus, ne Palaestinae iter aggrediatur, neque iniquo animo ferat Solymorum carere

[1] Matthias Berneggerus in opusculo, quod malo ausu inscripsit: Idolum Lauretanum eversis Baronii, Canisii, Turriani, Tursellini fulcimentis deiectum. Argentorati MDCXIX.

[2] Epistolis XLVI, XLVII, CVIII, CXXII, oper. tom. I edit. Vallarsi.

conspectu [1]. Addo et illud. Eustochio rarissimi exempli virgini auctor est Hieronymus, ut domo pedem perraro efferat, inque penetralibus martyres colat [2]. Cui ergo dubium controversumque erit, quin omnes ii, quorum auctoritate, adversariis non abnuentibus, quaestio haec componenda est, in unam mentem inque unum consilium iverint, dissiti ad sacras aedes itineris labore et Dei iram remitti, et pios erumpere affectus, et fidem integrascere, uberrimosque in rem christianam fructus conferri? Num ergo sapientissimos, quos commemoravi viros, aut fraudis dolique mali insimulabunt, aut errore lapsos, caecoque circumactos studio ferent? Sapiant itaque alii cum Lutero, sapiant cum Calvino, sentiant cum Berneggero, Erasmo astipulentur, Claudii taurinensis, turpissimique impiorum gregis vestigiis haereant: dulce mihi et decorum est cum Chrysostomo, Gregorio, Basilio, Hieronymo, Augustino desipere.

At vero causae eorum labefactato firmamento, quo se vertant, prorsus ignoro. Hunc enim morem apud omnes gentes sive moribus excultas, sive efferatas, spissisque superstitionis tenebris obsitas convaluisse, ante oculos est. Possem hoc loco innumeras arabum catervas ad Mahometi tumulum vere ineunte quotannis peregrinantes percensere, quae oasim, interiectamque solitudinem nullo ad hospites

[1] « Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse laudandum est. Nec quidquam fidei tuae decsse putes, quia Jerosolymam non vidisti ». Ep. LVIII.

[2] « Semper te cubiculi tui secreta custodiant; semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Foris vagentur virgines stultae, tu intrinsecus esto cum sponso ». Ep. XXII ad Eustochium.

excipiendos domicilio, nullis diversoriis munitam, nullis fontium scatebris recreatam, sed perpetuo retorridam sole hilares excurrunt, ut criminum, quibus obstricti sunt, poenas deprecentur. Possem iapones memorare, qui Amidae fanum praerupto in monte constitutum, ab extrema Nangasachi regione conscendunt, quod cum attigerint, perinde ac si caelum manu feriissent, proiiciunt animas, et lucem perosi sese dant ex alta rupe praecipites, beatiorem, ut stulte autumant, diem inituri. Ego vero illa nimis antiqua praetereo, cum iliades suppliciter tristes, pectusque pugnis plangentes templum Palladis adibant, mentemque iratae deae delinire lacrimis et prece connitebantur. Nec referam alterum a Romulo regem Numam Pompilium, qui Aegeriae nymphae fontem, et vocalem silvam urbe relicta identidem celebrabat, ut divinis responsis fatidicisque oraculis, prout fabulabatur, confirmatus leges de sacris ferret [1]. Omnium aetatum litteris solemnis arvalium fratrum pompa praedicatur, quam bisseni sacerdotes spicea comas implexi corona, unguentis delibuti, stipati praetextatis ex amplissimo ordine camillis ad lucum Cereris via campana deducebant: quo cum accessissent, fratrum antistes vaccam honorariam in tetrastylo mactabat: quae divina res cum perageretur, reliqui caput velis obnupti carmen saliares in modos modulabantur: quod arvale collegium, quum Gordianus rerum summae praesset, adhuc supererat [2]. Quid loquar ferias latinas conceptivas; cum solemnes Jovi latiali hostias consul victor

[1] T. Livius lib. I, c. XXI.

[2] Atti e monumenti de' fratelli Arvali raccolti e comentati da Gaetano Marini. Roma MDCCXCV.

cum reduce exercitu in algidi montis cacumine ad XIV ab urbe lapidem immolabat: ad quas aras populi romani socias et amicas aequi, volsci, aurunci, hernici catervatim commeabant? Quid Jovis anxuris, quid Jovis tarentini, quid Antii, quid Fortunae delubra, quorum tholo navitae mediis e fluctibus sospites votivas suspendebant tabellas? At vero hos latinos ritus adversarii laudibus efferunt, et gentem togatam rerum dominam in hac religionis dignitate principem demirantur: iidem ad martyrum monumenta institutum iter laevis oculis spectant, calumniisque deterunt. Ergo cultus qui idolis attributus, commendatur, qui Deo aeterno, improbatur.

At vero obtrectatores calumniam petulanter conflantes suis laqueis praefocemus. Nec turpe ipsis nec criminosum est Calvini cineres adire, Rousseavii hortos, in quibus dirum in rem christianam bellum moliebatur, adire, easque quercus, quae genevensem eius domum obsepiunt, ceu sacras demirari: rus vero, quo se Voltairius recepit, quodque obscoenissimis foedavit voluptatibus, eiusque fuit libidinum diversorium, obita e dissitis regionibus via, ingredi, floremque et fruticem demessum, auro gemmisque cariorem tueri. Islebium in saxonum plagis, qua in urbe vitales in auras Luterus, fatale religionis monstrum, elatus est, prona colit germania, novamque Bethleem salutat: eiusque ad tumulum, ceu ad apostolorum valvas supplex advolvitur. Paucis ab hinc annis, saeculo tertio redeunte, quo saxones auspice et duce Lutero a catholicis castris descivere, festi solemnesque dies indicti. Vidisses Luteri tumulum aulaeis, sericisque conspicuum, aureos lychnos e laquearibus demissos, facibus renitentia conclavia. floreis omnia

exhilarata corollis. Qui rhenum, qui danubium bibunt, confluxerant: aderant oratores communis laetitiae signa augentes, qui diem illum sibi auspicatissimum efferebant; qui dies imperium babylonis, hoc nomine Romam notant, fregit, servile iugum e cervicibus germanis excussit, et antiqua iura annorum lapsu pessumdata redonavit. Nec satis: litteris proditae sunt conciones, fasti, tituli, quo huius diei ad posteros quam diutissima perennaret memoria [1].

Sed proiectae audaciae homines sua satis impudentia damnatos, qui omnia libidine non ratione metiuntur, missos faciamus: vestrum enim nemo est, auditores sapientissimi, quin intelligat, quam longissime a veritate abhorreant, qui a veritatis duce et magistra defecere. Nos itaque tamquam deliros rideant, nos male habeant, conviciis dicteriisque figant: numquam enim nec eorum sannis commovebimur, nec ab instituto abscedemus: pietatique erga magnam Dei parentem indulgentes, beatissimum hoc conclave, quod caelesti munere ac dono in italiae gremio locatum est, et prece et votis ambiemus. Ecquis dubitabit adhuc domum hanc omni sacri cultus officio, piaeque mentis significationibus prosequi, cum tanta erga tectum hoc Virginis natale

[1] Pluribus abhinc annis mihi in manus incidit libellus, oculosque cursim et raptim in epigraphen conieci, cuius, ni me ludit memoria, haec erat sententia:

SACRIS . MANIBVS . LVTERI
SANCTAE . LIBERTATIS . ADSERTORI
VINDICI . RELIGIONIS
TERTIVM . A . SERVITVTE . DELETA
SAECVLVM
GERMANIA . PLAVDENS
GRATVLATVR.

religio omnium animos imbuerit; ut publicam dant prodita posteris monumenta fidem? Hanc primitus pietatis speciem prae se tulit Helena Constantini parens augusta, hanc Eudocia, hanc Heraclius, hanc spectatissimi sacrorum antistites, hanc exercituum duces, hanc, ut ceteros silentio praeteream, Ludovicus IX galliarum rex, qui aeternum agnomen virtute partum ceteris hereditarium reliquit. Cum itaque rei militaris scientissimus imperator Massilia solvisset, et secundo cursu cum classe octingentarum et mille triremium ad orientis littus transmisisset, ut regionem beatissimam Christi cruore rorantem e servili barbarorum iugo vindicaret, nihil illi potius fuit, quam conclave hoc quod augusta Dei parens, eiusque vir sanctissimus Josephus, Jesusque humani generis servator diu coluit, regio apparatu venerari. Dies certus exercitui indicitur, qui dies ut primum illuxit, mira animos laetitia perfudit. Legiones in suas singulae cohortes, turmas, et manipulos discretae, aequata fronte, structo agmine, festivos inter lituos atque aera canora alacres gressum confertim glomerabant: a nitidiore solis iubare arma galeaeque rutilabant. Rex nivali advectus equo, lemovicum, pictonum, santonum, velaunorum, allobrogum nobilitatis flore stipatus, vultu oculis fronte habitu pietatem praefert. Ut divinae domus procul fastigia apparent, equo rex desilit, desiliunt proceres, terramque genu petentes non voce, non clamore, sed lacrimis et suspiriis Dei parentem salutant. Reliquum viae lumina demissi, veniamque petentes absolvunt. Ut sacratum limen attigit Ludovicus, ter et quater perbeatos postes amplexans et osculans: grates, inquit, tibi, summe caeli regnator, et grates tibi, magna parens, quod hisce oculis tuam

domum aspiciam, tuumque ingrediar conclave: vitam paciscor, sanguinem voveo, pulcramque opto pro religione mortem oppetere. Nec spes eum fefellit, neque incassum vota cecidere. Nam barbaros secundo praelio fregit, regionem praesidiis communivit, et inter belli labores peste afflatus vitam cum interitu commutavit [1]. Oh pietas! oh prisca fides! oh dextera non armis modo, sed fide et religione praestantior!

[1] Rem omnem ordine persequitur eiusdem aetatis historicus incomptus licet stilo, at plenus fidei, quem operae pretium est ita narrantem accipere: « Nec silendum arbitror, quam humiliter, quam » catholice se habuit rex devotus in peregrinatione, quam fecit de » Acon in sancta ac devota civitate (sic) Nazareth. Nam in vigilia » Annunciationis Dominicae (scil. an. MCCLI) ivit indutus ad car- » nem cilicio de Sephora, ubi ea nocte iacuerat, in Cana Galilaeae: » inde in montem Thabor, inde eadem vigilia descendit in Nazareth. » Cum autem a longe sanctum locum videret, descendit de equo, » flexis genibus devotissime adoravit, et sic pedes incessit, donec » humiliter civitatem sacram, et pium locum incarnationis intravit. » Ea die pane et aqua devote ieiunavit, quamvis plurimum laboras- » set. Quam devote ibidem se habuerit, quam solemniter et glorio- » se fecerit celebrari vesperas, matutinas, missam et cetera, quae » ad solemnitatem tam celebrem pertinebant, testes esse possunt, » qui affuerunt: de quibus nonnulli attestari veraciter possunt, sive » edere potuerunt, quod postquam Filius Dei in eodem loco de glo- » riosa Virgine carnem assumpsit, numquam tam solemne tamque » devotum officium fuerit ibi factum. Ibidem rex, missa in altari » Annunciationis celebrata, sacram communionem accepit. Et domnus » Odo tusculanus apostolicae sedis legatus ad maius altare ecclesiae » missam solemnem celebravit, et sermonem devotum fecit ». Gaufridus de Bello-loco in vita S. Ludovici IX cap. XXII.

Quibus verbis haec adscripsere Bollandiani socii: « Cum ibi » fuit S. Ludovicus, aedes sacra nondum translata erat ». Acta SS. die XXV augusti.

Quid ego summos rei christianae antistites in hac aede beneficiis ornanda commemorem? aut magnam Dei parentem in habenda et referenda gratia, supplicumque votis ad bonos exitus ducendis referam; cum historica satis monumenta loquantur [1]?

At vero aetati, in qua sumus, iniurius forem, si aut fidem prorsus extinctam, aut pietatem collapsam, aut sacrum hoc conclave obeundi studium omnino elanguens ducerem. Vivit adhuc, et vivit quamvis rei publicae calamitatibus conflictata, avita virtus: vivit, seque non dubiis significationibus prodit. Viderunt superiores aetates sedis romanae antistites, imperatores, reges, regumque uxores ante hoc Dei parentis signum procumbere? vidit et nostra. Viderunt amplissimos viros e patrum cardinalium senatu heic in principe ara divinae rei operari? vidit et nostra. Viderunt e summo ordine primores germanos, gallos, anglos muneribus hanc cumulare aedem? vidimus et nos. Modestia vestra, lectissimi auditores, me impedit, quominus ea qua vellem libertate de hoc lauretano pontifice [2], de praetore urbano [3], deque insigni patrum canonicorum collegio verba faciam. Hoc mihi absque assentationis nota vere videor esse dicturus, oppido paucas europae urbes cum viris hisce, quos honoris causa nominavi, vitae integritate, morum castimonia, religionis prolatandae studio posse conferri.

Vobis vero, ingenui nobilesque adolescentes, qui inter

[1] Historia domus lauretanae auctore Horatio Tursellino e Soc. Jesu.

[2] Aderat Alexander Bernetti patricius firmanus pont. Laureti.

[3] Henricus Orfei urbevetanus nunc temporis pontifex caesenatium.

collegii huius septa ad bonas artes rectosque mores instituimini, vobis datum est, quod irritis votis alii sibi praeoptant, beatissimum hoc Christi Servatoris, et divinae matris conclave quotidie oculis usurpare, quotidie ingredi, et intra sanctissimos hosce parietes vobis, domui, patriaeque vestrae veniam pacemque adprecari. Singulari hoc Dei munere ac dono, dum licet, fruiminor: et cum aetate confirmati, scientiarum compendiis aucti patrias sedes remeabitis, ne quaeso, ne gravate feratis sanctissimae Dei parentis domum identidem remigrare. Et si forte rei familiaris distenti curis, aut rei publicae administratione impliciti, aut adversa tentati valetudine, aut annis ingravescentibus obsiti pedem huc conferre nequeatis; memori saltem prece, memorique suspirio sacratum hoc limen adite [1].

[1] Pietate, litteris, frequentia cumprimis floret lauretanum collegium, quod in fide et tutela est magnae Dei parentis.

QUANTUM PRAESIDII A GRAECIS LITTERIS INGENIA MUTUENTUR

ORATIO

HABITA IN COLLEGIO MUTINENSI IN EXORDIO STUDIORUM IV NON. DECEMBRES AN. MDCCCXXXIIII.

Non mediocrem avitae gloriae labem, praesul praestantissime [1], vosque omnes quotquot frequentes convenistis viri eruditissimi, inurere illi videntur, qui maiorum vestigiis neglectis et veteris institutionis severitate excussa ad optimarum artium metam praepostero tramite enituntur. Adolescentium enim in nobilissima studiorum palaestra decertantium dignitati et progressibus consultum satis et provisum ducunt, si tenerae mentes a severiore sapientia revocatae inanibus nulliusque frugis cognitionibus innutriantur. Parabiles enim, inque medio positas scientiarum opes obtrudunt, novumque docendi discendique genus

[1] Aderat vir spectatissimus, rei litterariae in ditione atestina praepositus, Aloisius Rangoni marchio, qui doctrinane magis, an virtute, quibus generis auxit ornamenta, claruerit, nescias. Hunc egeni altorem, miseri solatorem, bonae artes cultorem, eruditi maecenatem munificum habuere. Pietatem, religionisque studium vel difficillimis temporibus numquam intermissum humanitate et modestia cumulavit. Oculorum morbum, quo ingravescente aetate diu laboravit, aequo animo tulit contemptor terrestrium, praemia manens non interitura. Paucis ab hinc annis rebus humanis exemptum omnes boni fleverunt. Si viri, qui me eximie dilexit, desiderio moveri negem, mentiar certe.

excudunt; quo adolescentibus remissis, desidentibus, nihil cogitantibus atque aliud agentibus doctrinarum omnium supellex ultro illabatur. Praeter haec permultis gravis insedit opinio, crescentis ingenii aciem hebescere, si quam inivimus studiorum viam insistamus, assuetisque praeceptionibus discentium mentem fingamus. Quid multa? graecis bellum litteris cient, nosque in iis tradendis actum agere criminantur. Itaque et os obtrectatoribus obstruere, et querelis mea voce occurrere, mentesque, si quae de via deflexerint, ad saniora revocare, et graecis litteris sua iura, suamque asserere dignitatem decrevi. Itaque valeat apud vos, viri mutinenses lectissimi, veritas, quam adversae debilitare nituntur opiniones, vestraque sapientia et aequitate recreetur; in cuius patrocinio me vestra humanitas, oculi, vultus, atque ora sustentant. Metu enim quo trepidabat, solvitur, inque vulgus mea laetior emanat oratio, cum tacitus mecum ipse revolvo, graecas a me litteras ea in urbe praedicari, qua in urbe vehementius excultae non sine eximia maiorum vestrorum laude floruerunt. Illuxit quidem huic urbi aetas illa, qua nemo laudis cupidus adolescens latinas italasque litteras a graecis disiunxit. Quibus enimvero praeconiis etiamnum apud seros nepotes academia intra domesticos Grillenzonii civis amplissimi parietes instituta non effertur, e qua viri eruditissimi omnibus ad dicendum praesidiis ornati prodiere [1]? Cui M. Antonii Crotoniatae, cui Francisci Porti cretensis nomen ignotum, qui aditum

[1] « Florebant Sadoletus, Cortesius, Molza, Milanius, Falloppins, et alii multi, qui optimis in artibus gloriam summam » consequnti sunt ». Alexander Caprara e S. J. in elogio Caroli Sigonii.

ad graecas artes iamdiu interclusum reserarunt, et ad haec studia excolenda veluti signum aliquod extulerunt [1]? Auspicatissimus, patriaeque vestrae honestissimus semper feretur et praedicabitur ille dies, cum calendis februariis anni MDXXXVI publica senatus auctoritate domicilium fuit graecis litteris hac in urbe constitutum, ad quas arripiendas mira omnes alacritate confluxerunt [2]. Vestrum nomen, viri mutinenses, toties ornatur, quoties relatum legimus, Carolum Sigonium in antiquitatis monumentis facile principem in Porti locum suffectum confertissimae iuvenum manui atticas opes reclusisse, et atheniensium, lacedaemonumque in re publica tuenda virtutem aurea narratione esse prosequutum [3]. Vivit sane, recentique apud vos laude floret Franciscus Molza, qui graeca adolescens arripuit, sensuque exquisitiore gustavit [4]; nec posteritatis oblivione

[1] « Franciscum Portum mutinenses conduxerunt, ut graecas » litteras publice profiteretur. Erat autem Portus temporibus iis » facultatis huius facile princeps. Quare non cives tantum, sed » et exteros doctrinae fama alliciebat ». L. A. Muratori in vita Sigonii.

[2] « Magnus tunc erat ardor iuvenum mutinensium in pa- » laestra eruditionis ». Muratori loc. cit.

Tiraboschi Storia della Letteratura lib. III, cap. II. n. XIII tom. VII, p. II: e lib. I, cap. IV. n. XIII tom. VII, part. I.

[3] Fidem laudibus, quibus Sigonium uno omnes ore historici in graecis litteris extollunt, cumulate addunt libri, quos in vulgus edidit - de republica atheniensium - de atheniensium et lacedaemoniorum temporibus - Aristotelis opera rhetorica.

[4] Josephus Lugli, doctor decurialis eloquentiae tradendae in mutinensi athenaeo an. MDCCCXXXIII Francisci Molzae nomen venusta oratione honestavit.

De Molza haec apud Giraldum coaevum scriptorem:

extinguitur Tarquinia, quae in avi nomen ivit, comptaque oratione Carmidem et Critonem Platonis e graeco convertit [1]. Inter vos constat, praecipuum augusti patrum cardinalium senatus decus Jacobum Sadoletum latinam scribendi venustatem et copiam graecis litteris cumulasse [2]. Aeterna sane lauro sibi frontem praecinxit Ludovicus a Castro veteri, cum poeticas leges ab Aristotele descriptas vertens, easque eximia eruditione enarrans edocet, qua iter carpendum, ut ad poetarum sedem praerupto in monte sitam contendamus [3]. Qua vero graecarum litterarum copia abundarit Varro vester, acer delitescentium in italiae tabulariis monumentorum conquisitor et vindex Ludovicus Antonius Muratori, in anecdotis edendis innotuit [4]. Haec domestica exempla sibi proponat velim, atque imitari condiscat mutinensis iuventus, retineat acriter atque constanter eam laudem, quae gentis nominisque vestri praecipua

« Franciscus post vernacula, in quibus suae iam eruditionis certa » documenta dedit, latina graecis et hebraeis coniungit, inter rarissima ingenia connumerandus ». De poetis suor. temp. dial. I.

[1] « Tu non modo etruscam politissimam linguam, sed latinam, sed graecam optime calles ». His verbis Tarquiniam affatur Franciscus Patrizi, cum ei tertium volumen peripateticarum quaestionum inscriberet. Patrizi opera Basileae MDLXXXI.

[2] Sadoletus Leoni X ab epistolis in psalmorum, et Pauli ad romanos epistolae enarratione praesidium a graecis est mutuatns.

[3] Muratorio assentior, qui Ludovici natale solum non Castrum vitreum, ut multorum scripta ferunt, sed Castrum vetus latine efferendum duxit.

Muratori, vita del Castelvetro.

Tiraboschi, storia della italiana letteratura, tom. VII parte III.

[4] Lombardi, storia della italiana letteratura nel sec. XVIII tom. IV.

censeri debet. Itaque hoc animo ad orandum accedens in eo enitar ut evincam, quantum graecis litteraria res publica debeat. Quo nobilioris facultatis vindicias postulo, eo aequius est impensiore studio vos humanissimos homines verba mea excipere, mihique animum advertere.

Primum omnium edisserant, quaeso, graecarum litterarum osores, quaenam ex disciplinis, quae in communi hominum usu versantur, non summopere huius sermonis praesidio muniatur. Num theologos, aut eos qui in veri vestigatione adlaborant, num oratores aut poetas proferent? At enim lucem e medio tollit, qui quas memoravi facultates atticarum artium ope nudat. Paucula summatim delibemus. Agedum animum appelle ad omnium doctrinarum longe principem et parentem, Dei ipsius nomine honestatam, theologiam loquor, cui rei christianae tutamen concreditum est, et dignitas. In arenam descende, manus consere, pugnam capesse, sententias argumentis conclude, perduelles pugnantia loqui ostende, eosque coargue; impar pugnae pedem referes, spem tibi ipse palmae incides, primo incursu te fundet hostis, causa tibi e manibus dilabetur, nec scientiae, quam profiteris, nomen tenebis, si graece nescias. Enimvero in medium veniat quaestio, quae ingenia doctissimorum virorum torsit, de discrimine inter *ὁμοούσιον* et *ὁμοιούσιον*, quae vis et potestas utrique tribuenda; ut vocem priorem ariani reformident, quippe quae Filio diam eamdemque cum Patre *οὐσίαν* vindicet: altera vero auribus arianis non ingrata, assimilem, non eamdem ac Patri naturam Filio adscribit: quarum vocum pondus interturbantes Ursacius et Valens arianorum ductores in sirmiensi conventu omnia miscuerunt, turbas

civerunt, plurimosque dolo malo in fraudem, inque sceleris societatem egerunt [1]. Age vero, tuis assonet auribus vox θεοτοκος, qua tum ephesini, tum chalcedonensis, tum florentini conventus patres Virginem Matrem Deo auctam esse edixerunt. Si te graecae lateant litterae, haerebis, in erroris discrimen vocaberis; una enim eademque vox in contrariam trahi sententiam potest [2]. Quot sevit lites in conventu Francfurti ad Moenum coacto, gallos inter germanosque pontifices praepostera nicaenae sententiae interpretatio, cum quaestio de imaginum sacrarum cultu incidisset [3]! Jamvero si pro romani pontificis

[1] S. Athanasius epistola de synodis num. XXXIV, oper. tom. I, ed. maur.

Idem, refutatio hypocrisis Meletii et Eusebii, tom. II.

Prudentius Maranus, Divinitas Jesu Christi lib. IV, cap. XXIX.

Marius Victorinus, adversus arianos lib. I.

Palma, praelect. histor. eccles. tom. I, cap. XXX.

Natalis Alexander, dissert. de ὁμοούσιον, et ὁμοιούσιον.

Fassini, dissert. de voce ὁμοούσιον.

E re fore duco, si et illud adiungam, non paucos et recte sensisse, nec a voce ὁμοιούσιον pepercisse.

[2] Epistola s. Cyrilli inter acta synodi ephesinae, an. CCCCXXXI.

Concilium chalcedonense an. CCCCLI, act. IV, et V.

Concilium florentinum an. MCCCCLXXXVIII collat. XII.

Vox θεοτόκος, si eam active efferas, et acuas in penultima, gignentem Deum innuit: contra ea si efferas passive, et accentum ad syllabam alteram retrahas, θεότοκος, a Deo genitam sonat.

[3] Synodo II nicaenae, quae et oecumenica VII, perpetuo in usu fuit vox προσκυνεῖν, non vero λατρεύειν, cum imaginum cultum suis scitis sanciret; quarum vocum potestatem non assequutus, easque praepostere vertens latinus interpres ansam errandi praesulibus dedit. Compone sententias patrum nicaenorum cum

potestate et iuribus sit tibi dimicandum, si cum acerrimo adversario res sit de acaciano, de photiano schismate, si graecorum cum latinis dissidii in synodo florentina compositi sit tibi mentio iniicienda; nonne haec e mediis graecorum historiis retrusa atque abdita erunt tibi eruenda? Quot vero aut ambigue dicta, aut aliam in sententiam detorta, aut interpretum incuria subobscure implexeque translata graecarum litterarum face claruerunt! Constat inter historicos, Basilii voces de Evagrio antiocheno absonum in sensum deflexas, ecclesiae annalium conditorem ac parentem Baronium, ut scite a sociis Bollandianis edoctum est, in fraudem egisse [1]. Si omni nestorianae labis suspicione sanctissimum praesulem Chrysostomum eluas, eiusque sententias vel leviori vacare culpa evincas, nonne praesidium a graecis arcessas, oportet [2]? Quot acuit ingenia unus et alter locus epistolae Julii pontificis, qua cum eusebianis graviter de illatis Athanasio iniuriis expostulat; eosque Romam contendere, nicaenisque scitis parere detrectantes corripit: quarum litterarum interpres a Julii mente recedens ab acrioribus criticis coargutus est [3]. A

sententiis in latinum translatis apud francfurtienses. Acta synodi nicaenae apud Labbeum, concil. tom. XII.

Natalis Alexander, dissert. VI in seculum VIII.

Trombelli, dissert. X de cultu sanctorum.

[1] Acta SS. in vita s. Antonii die XVII ianuarii §. IX, num. XL et XLIII.

Pagius in notis criticis Baronii an. CCCLXXXIX, num. IX.

Valesius in notis historiae eccl. Socratis lib. VI, cap. III.

[2] Id praestitit p. Daniel e S. J. dissert. in hom. III Chrys. ep. ad hebraeos.

[3] Constant in notis epist. I s. Julii ad Eusebianos an. CCCXLII.

meo munere abesse reor eos vocis libertate perstringere, qui Baronio auctore et duce Constantinum salutari lavacro Romae a s. Silvestro lustratum ferunt, eosque carpere, qui Eusebii, Sozomeni, Theodoreti historica monumenta latine reddentes, in sensus a mente scriptorum alienos defluxere [1]. Quid pluribus? quae de Christo domino litteris mandata sunt, si unum Matthaeum detrahas, graece sonant: eorumque vim probe versio latina interdum vix refert [2]. Quis vero tot nobilissimos rei christianae vindices, adsertores, et parentes ingenio studiisque affluentes queat in numerum digerere, qui fidei penitiora dogmata acriter perscrutati viam ad eadem oppugnanda sepserunt? quorum si te fugiant scripta, manca inchoata ac debilis erit sacrarum doctrinarum scientia. Quis enim Athanasio in Trinitatis augustae mysteriis enodandis acrior quis nitidior et pressior? Quis cum Basilio doctrinae copia sublimi

[1] Quaestionem de Constantino lustralibus aquis abluto enodarunt sodales Bollandiani, die XXI maii, comment. histor. cap. I, in quorum sententiam recentiores critici ivere.

Valesius in notis Eusebii.

[2] « Proprietatem graecam latinus sermo non explicat ». S. Hieronymus adversus Jovinianum lib. I, num. XIII, edit. Vallarsi.

« Translatio e graeco in latinum attenuat sensum » S. Ambrosius enarrat. in ps. XXXVIII, num. XLIX, edit. maur.

Idem de veteris testamenti versionibus ait: « septuaginta vi» rorum sententias magis sequitur ecclesia: et hic sensus est pla» nior ». Serm. IX in ps. CXVIII, num. XIII.

Eamdem fert sententiam s. Hilarius tract. in ps. CXVIII, num. I, et lib. XI de Trinitate num. XVII, edit. maur.

Multis in medium collatis exemplis rem confirmat Alphonsus Salmeron e S. J. prolegom. XVII in hist. evang.

ac modo non divina conferendus? quis Nazianzeno limatior et comptior, qui veneres elegantiamque sectatus robore dicendi nervisque non caret? Quis Nysseno aptius oratoris, philosophi, theologique partes exsequitur? Quis Chrysostomo uberius et plenius mores ad rectum fingit, doctrina imbuit, virtutes serit, bellum vitiis grassantibus indicit? ut tacitus Athenagoram, Tatianum, Justinum eruditionis ubertate affluentes praeteream [1]. Nullius est tantum flumen ingenii, nulla dicendi vis et ubertas, quae non dicam exornare, sed ne enarrare quidem valeat optime de re christiana meritos conventus Ephesi, Antiochiae, Byzantii, Nicaeae, Caesaraeae, Ancyrae, Chalcedone, Tyri coactos: ut patrum conscriptorum numero sapientiaque floruerint: quam strenue contra gliscentes errores dimicatum, quo religionis studio signa collata! Quo factum est, ut quotquot ex inferis sese in posterum extulere errorum capita, infirmata et comminuta hisce armis fuerint: quod religionis christianae armamentarium in tenebris et situ iaceret, nisi graecarum litterarum lumen accederet.

Age vero ne semper patres, patrumque comitia meditemur: quid tibi viro ad sacra munia obeunda adlecto magis ad manum, quam graeca? Sermo tibi cum amicis de ritibus quibus Ecclesia divino ductu ac numine pietatem in nobis fovet, instituatur, teque percontentur, quid haec aut illa vox sonet, quam usurpas quotidie, cum sacris operaris, cum diurna nocturnaque laudum pensa Deo exsolvis, cum festus dies, cui graecum nomen inditum, agitur [2]. Haerebis

[1] D'Argonne, de la lecture des pères de l'eglise part. III, chap. II.

[2] S. Eucherius pontifex lugdunensis lib. instruct. cap. XV

profecto, temet torquebis, nec propositae quaestionis laqueis te expedies: hinc risus, hinc sannae, hinc convicia, hinc inusta inscitiae labes ac nota: quae nota ac labes insedit iam et inveteravit in nostro nomine. Quamobrem hoc maneat, rei christianae eo plus dignitatis, decoris, ac praesidii detractum iri, quo remissius graeca excolantur [1].

Ecquid sentiendum, si ad disserendi facultatem verique disceptationem te conferas? Nonne haec ars, quam sapientiae effectricem et ducem iure praedicamus, graecos fert auctores et parentes, a quibus impensius exculta, brevi ad eam absolutionem est evecta, quanta optari posset maxima [2]? Quam multa et commode dicta ab iis in vulgus manarunt, qui septem sapientes feruntur! Quamquam enim ambigi nequeat, non pauca eos latuisse, quae ad Deum, hominesque referuntur officia, quaeque divina Christi religio errorum tenebras excutiens, opinionumque delens

omnes propemodum loquendi formas contraxit, quae graeco fonte manantes sedem inter latina sacra obtinent: quod commentariolum volvere operae pretium duco. Biblioth. Patrum, edit. de la Bigne tom. VI.

[1] Numquam viro theologo ex animo excidat sententia, quam in solemni concione ad patres Tridenti conscriptos tulit Cornelius Musso pontifex bitontinus: « graecia mater nostra, cui id totum » debet, quod habet ecclesia latina ».

[2] Hac mente loquutus est Tullius de orat. lib. I, cap. IV. « Atque ut omittam graeciam, atque illas omnium doctrinarum in» ventrices Athenas ».

« Ἀφ' Ἑλλήνων ἦρξε φιλοσοφία » a graecis primordia duxit philosophia. Diogenes Laertius in vitis philosophorum, prooem. lib. I num. V, edit. Amstelodami MDCLXXXXII: quamvis non sim nescius vestigia huius facultatis apud aegyptios, persas, indos primitus exstitisse.

commenta vividiore in luce locavit; non mediocri tamen graecis vertendum est laudi, quod omnium primi salebrosum iter ingressi, reliquis expeditiorem viam et exemplo et praeceptis ad philosophiam communierunt. Hic enimvero philosophorum familiae et haereses: hic ludi, hic palaestra, hic academia, hic horti, hic xysti, hic inter ambulandum ductae ultro citroque collocutiones, et lacessendi et respondendi initum ad multas horas certamen: hic disceptantibus leges et iura descripta. Et sane cum primum ad philosophiam animum appulerunt romani, nihil non a graecis expresserunt, arripuerunt, hauserunt: confertimque Athenas doctrinarum arcem ac domicilium commigrarunt, atticis doctoribus et institutis usi. Et ne omnia percenseam, cum profligata re publica, Romae et forenses et senatoriae litterae conticescerent, nullusque inter armorum vim oratori locus foret; M. Tullius sese in philosophiae portum e civilibus procellis recepit, latinisque litteris mandavit, quae summo ingenio, praestantique doctrina graeci pertractarunt. Cumque spinosiores extricat quaestiones, vimque et praestantiam animi ab omni caduca concretione secretam tuetur, qui et praeterita teneat, et futura praevideat, et praesentia amplectatur, nonne Platonis discipulum agnoscis [1]? Haec super cum officia, quae ad vitae cultum et convictum referuntur, persequitur, et quid rectum, quid cum honestate consentiat, quid pugnet, inquirit, stoicis se imbutum madidumque praeceptionibus prodit: omnia

[1] « Evolve diligenter Platonis eum librum, qui est de animo, » amplius quod desideres, nihil erit ». Cic. Tuscul. disput. lib. I, cap. XI. Et cap. XVII « errare malo cum Platone, quam cum istis » vera sentire ».

enim ab honestate ducit, omnia ad honestatem refert [1]. Nec a stoicorum vestigiis pedem effert, cum recondita quaedam et a vulgi opinione remota, quae παράδοξα appellantur, ornate acriterque disserit [2]: academicorum vero sese telis obarmat, cum subdifficiles de divinatione, de fato, deque deorum natura quaestiones instituit [3]. Quibus parcit hortatibus Tullius, ut Marcus filius Cratippum Athenis audiens praeceptis institutisque philosophiae abundet, scientiarum opibus cumuletur, seque ad laudem atque doctrinam, graecis doctoribus adhibitis, effingat [4]? Longe lateque Maecenatis, et Pomponii Attici fama pervasit: at quamdiu quamque arrectas graecis aures adhibuerint, vulgatum est. Augustus Caesar, qui auream Romae, latinisque urbibus aetatem condidit, et quo auctore res romana eo crevit, ut mole laboraret sua, nonne ab Apollodoro Pergameo graecis artibus et disciplinis excultus fuit et expolitus [5]? Ut vero a latinis ad nostra pervagetur oratio: si in Boethii scriptis vividissimum philosophiae lumen clarescit, si Thomae aquinatis in veritate arripienda acumen, in evolvenda perspicuitatem, in propugnanda robur miramur; nonne stagiritae philosopho dandum est laudi, e cuius scriptis uterque non colorem modo et speciem disceptandi, sed

[1] In officiis constituendis Tullius et re docuit et oratione fassus est, omnia se e stoicorum fontibus hausisse: « Sequemur » hac in quaestione stoicos, et e fontibus eorum, quantum videbitur, » hauriemus ». De officiis lib. I, cap. II.

[2] Praefat. paradox. ad M. Brutum.

[3] De divinatione lib. II, cap. I.

[4] De officiis lib. I, cap. I.

[5] Svetonius in Octavio.

succum quoque et sanguinem hausit [1]? Sed quominus plura, quae e philosophis graecis ad nos dimanarunt, persequar, tum amplitudo argumenti, tum festinatio prohibet, ut ea absolvam, quae exorsus sum.

At enim graecarum disciplinarum fastidiosi, velut triumphi compotes exsultant, omnibusque gestiunt laetitiis, cum physica nobis et mathematica obiiciunt, eaque contendunt, nulla cum graecis necessitudine et societate contineri. Ego vero si hisce artibus novum in dies lumen, novosque auctus accedere, inque maius provehi inficiarer, iure in agrestis excordisque dicam et notam impingerem, et coarguerer aut domesticae gloriae invidus, aut ita rerum omnium rudis et imperitus, in cuius oculos et aures nomina Galilei, Neutoni, Kepleri, Laplacii, Lagrangiae, ceterorumque quos nostra tulit aetas, non inciderunt. Vos enim probe tenetis, omnisque sapiens idem quod et vos sentiat oportet, nullam scientiarum incrementis metam, nullum modum imponi, multaque novis tentaminibus evolvi, latius explicari et perfici, quae primitus inchoata et rudia exstitere. At vero nihil ab humanitate alienius, nihil turpius fingi et excogitari potest, quam illos unde haec profecta sunt, aspernari, et graeciam in cuius gremio et exorsa et adoleverunt, ingrata obductam oblivione praeterire. Ecquis enim Thalete prior ex umbra proceritates pyramidum dimensus est? quis quantum ab acta maris distarent rates, edixit prior? quis circulis inclusa spatia secuit solertius, quis in

[1] Fabricius biblioth. graec. lib. III, cap. V ostendit multa Aristotelis scripta Boethium in latinum convertisse, et s. Thomae hortatu alios operam ad easdem versiones contulisse.

solis et lunae defectus animum advertit acutius, et obliquum solis, ut intuenti obiicitur, iter eiusque conversiones inita ratione est consectatus [1]? Anaximander vero, qui proxime Thaletem excepit, latius harum spatia doctrinarum protulit: orbis enim caelestis imaginem, quaeque orbem ambiunt, zonas oculis intuentium subiecit, lunam solis radiis attingi, suumque ab eo lumen mutuari edixit, e stili umbra accessus reditusque solis coniectavit, primusque describendae in tabula telluris auctor monstratorque praedicatur: nec levibus nixi argumentis orbis signiferi, qui graece ζωδιακὸς audit, obliquitatem Anaximandro vindicant eruditi [2]: quo in orbe arietis et sagittarii signa conspicatus est Cleostratus [3]. Quibus studiis ingens accessio facta est a Pythagora, qui numeros certa lege inire, conferre, subducere, suum cometis iter, suos orbes praefinire,

[1] Diogenes Laertius in Thalete.

Proculus comment. in Euclidem lib. I.

Plutarchus de placitis philosophorum lib. II, cap. IX, X, XI.

Strabo, geographiae libro XIV, pag. 942, edit. Amstelod. Jure s. Justinus philosophus ait « Θαλῆς μὲν γὰρ ὁ Μιλήσιος ὁ » πρῶτος φυσικῆς φιλοσοφίας ἄρξας. » Thales milesius physicarum artium parens.

Montucla antiquitatis vestigator acerrimus Thaletem praedicat « le père de la géométrie. » Histoire des mathématiques part. I, liv. III, chap. II, III, IV.

[2] Diogenes Laertius in Anaximandro.

Strabo geograph. lib. I.

[3] Petavius, uranologiae dissertat. lib. II, cap. I; quo in opere immensae eruditionis et laboris accurate et nitide graecorum in caelo dimetiendo studium in lucem promit.

Plinius historiae naturalis libro II, cap. VI (al. VIII).

nullumque ab illis laevum omen portendi edocuit [1]. Quid Architam tarentinum persequar, quem in caeli dimetiendi, tellurisque describendae studio pene immori dixeris [2]? Quid Heraclidem ponticum, qui terrarum orbem suis agi motibus censuit [3]? Quid Archimedem, de cuius laudibus nulla unquam aetas conticescet? Satis ea loquuntur, quae de corporum pondere, de iis quae innatant aquis quaeque subsidunt, de adminiculis ad vires exserendas et iuvandas, de sphaera eiusque circulis disseruit: cuius acutissimi viri tumulum sentibus et squallore obsitum Tullius, cum apud siculos ageret, detexisse siracusiisque commonstrasse gloriatur [4]. Itaque litteris prodita monumenta nos monent,

[1] Diogenes Laertius in Pythagora.
Plinius hist. natur. lib. XI, cap. VIII.
Boethius de geometria.
Montucla, histoire des mathématiques part. I, liv. III, chap. VIII, IX.

[2] Architae laudes pleniore carmine meditatus est Horatius ode XXVIII, lib. I

« Te maris et terrae, numeroque carentis arenae
» Mensorem cohibent, Archita,
» Pulveris exigui prope littus parva Matinum
» Munera: nec quidquam tibi prodest
» Aerias tentasse domos, animoque rotundum
» Percurrisse polum. »

[3] Diogenes Laertius in Heraclide.

[4] Cic. tuscul. disput. lib. V, cap. XXIII.
T. Livius hist. lib. XXIV, 34: et lib. XXV, 31.
Plutarchus in Marcello.
Polybius hist. lib. VIII.
Mazzuchelli, notizie istoriche intorno la vita e le invenzioni di Archimede.

apud argivos primitus vitales in auras venisse haec studia, ex quibus hac praesertim tempestate tanta in hominum universitatem commoda profluxere [1].

Nimium profecto orationis seges excresceret, si quantum in prudentia iuris, quantum in medendi facultate, quantum iis in artibus, quae ingenuae et liberales audiunt, graecis dandum sit, niterer disserendo complecti: cum testis temporum historia aeternis chartis Lycurgi, Solonis, Hippocratis, Dioscoridis, Zeuxis, Apellis, Phidiae, Praxitelis nomina commendarit. Quam aequis enim temperata institutis res atheniensium et laconum publica floruerit; ut in ius adirent, lege agerent, sententias ferrent, magistratus rogarent, imperiique opes sapientibus munierint consiliis, firmarintque praesidiis, memoriae proditum legimus [2]. Medicorum ars et facultas a graecis hausit exordia, qui herbarum vim et potestatem tenere, salubresque exprimere succos, hisque medicinam morbis adhibere instituerunt [3]. Excudere autem mollius aera, vivos spirantesque e marmore vultus ducere, aurum argentumque caelare, formas speciesque in tabulis ita exprimere, ut ad eximiam dignitatem

[1] Dutens, recher. sur l'orig. des découvertes.

[2] Arist. politic. lib. II.
Plato de legibus.
Plutarchus in Solone, et Lycurgo.
Clemens Alexandrinus stromat. lib. I.
Tullius de legibus lib. III, cap. XX.

[3] Plinius hist. natur. lib. VII, num. XXXVII, et lib. XXV, num. IV, V.
Sprengel, historia rei herbariae.
Bromel, chloris gotica.
Tournefort, isagoge in rem herbariam.

ac venustatem nihil queat accedere, uni graeciae vertendum est laudi: qui decor ac venustas per omnes aedis exaedificandae partes permanat ac funditur [1]. Super haec si quid ex antiquitatibus delibare fert animus, titulos notasque saxo et aeri insculptas, defossa signa, veterum vasa, nummosque discere, ad graeca te conferas necessum est.

Jamvero ad eas, quas profitemur artes, suapte sponte fertur oratio; quae, ut vestris obsequar studiis, optimi adolescentes, non gravate iis in disciplinis versabitur, quae in omnes scribendi partes funduntur. Graecorum enim sapientia perfecti oratoris et poetae formam et speciem nobis exemplo et praeceptis effinxit. Ad haec itaque mihi pro se quisque animum intendat: quibus praesidiis et parta et aucta tanta sit laus, mecum reputet. Praecepta enim normasque scribendi, quae ingeniis moderantur, eorumque insitam vim regunt ac temperant, is nullo in numero censebit, qui nullum inter copias denso instructas agmine, easque palantes effusasque noverit interesse discrimen. Ingenii enim vires scribendique facultas, nisi suis teneantur legibus suisque regantur praeceptis, sese quidem exserent et veluti igniculi et scintillae e vestigio erumpent; at in ea praecipites vitia ruent, quae ut vitemus, vox sapientium et doctrina nos admonet. Utque equus si frenis parere, si sessorem vehere, si commode gradum conferre, si leniter succussare, si cursum aeque inire, si cervice erecta et ad dignitatem composita gressus alterno pede glomerare,

[1] Vitruvius de architectura: quibus in libris tum voces, tum leges, tum exempla a graecis ducit.
Plinius hist. natur. lib. VII, cap. XXXVIII.

si sese in orbem agere, si regredi, si strigare, si equitis monito et nutu dextra laevaque converti, diuturna agitatione et disciplina didicerit, longe tibi gratior usuique erit, quam intractatus et novus: sic ingenium arte et exercitatione subactum aptius tibi, cum volueris, ad scribendum erit, quam exlex infrene et rude. Haec vero eo spectant, ut probe teneatis, quantum in soluta, numerisque adstricta oratione graecis tribuendum sit, qui certis utramque normis legibusque continuerunt. Mihi enim antiqua repetenti occurrit Empedocles, Corax, Tisias, rhetores, et Gorgias Leontinus, e cuius palaestra prodiit in pulverem et solem Isocrates, cuius ex ore compta et numerosa effluxit oratio. Persequi non vacat, quae de absoluta oratoris specie Hermogenes, quae de genere demonstrativo Menander, quae de sublimi Longinus presse accurateque disseruerunt: cum nemo non noverit, in graecorum rhetorum officinis omnia eloquendi instrumenta et comparata et perfecta fuisse [1].

Nec vero concisis arctisque praeceptionum disputationibus, ieiunaque legum rhetoricarum norma, sed pleniore luce, nominisque eximii fama ad eas disciplinas

[1] Omnium instar sit vir de graecis arabis latinis italisque artibus et disciplinis egregie meritus Joannes Andres e soc. Jesu: « La rettorica e la poetica di Aristotele, i varii trattati rettorici e » critici di Dionigi d'Alicarnasso, quello che abbiamo sotto il nome » di Demetrio, il preziosissimo di Longino intorno al sublime, la » rettorica di Ermogene, e tanti altri simili libri di altri greci for» mano il codice delle leggi del gusto che in tutti i tempi hanno se» guito i buoni scrittori. » Origine progressi e stato attuale d'ogni letteratura, lib. I, cap. IV.

Qui limis transversisque oculis praecepta intuentur, hoc sibi dictum putent.

excolendas calcar nobis graeci subdiderunt. Itaque adolescens cui nihil a natura, nihil ab arte desit, recte eloquendi imagines a graecis expressas intueatur, totoque amplectatur animo, ut atticis stilum formis ac venustate temperet. Ecquod enim scribendi genus non pertentarunt, non excoluerunt, non ad absolutionem expolitionemque provexerunt? Aliis fusior dicendi ambitus, aliis contractior, aliis aequabili lenitate profluens et remissior, aliis incitatior et sententiis crebrior, aliis ornatior et comptior, aliis iudiciali asperitate forensibusque aculeis vehementior. Quem vero primum, quem postremum referam? tot enim in dicendo principes una eademque aetas Athenis tulit, ut decas attica nuncupetur [1]. Quis enim Aeschine plenior, quis limatior Hyperide, quis densior Thucydide, qui de bellicis rebus veluti classicum canit? quis ad Herodoti venustatem accedet? qui lenis, sine salebris, ceu sedatus amnis decurrit. Quis cum Lysia conferri potest? in quo nihil inane, nihil accersitum, nihil a summa oratoris dignitate decedens [2]. Xenophonti apis atticae nomen inditum, eiusque ore atticas charites loquutas ferunt [3]: Periclem fulgere, tonare, graeciam permiscere, memoriae proditum est [4]: Theophrastus ab eloquendi praestantia nomen invenit [5]. Ego vero ad oratorum longe principem, in quo uno omnia summa fuere, quique

[1] Quintilianus instit. orator. lib. X, cap. I.
[2] Cic. de oratore lib. II, cap. XIII, XIV, edit. Prust. Idem in orat. ad Brutum cap. XII.
[3] Cic. in orat. ad Brutum cap. IX et XIX. Quintil. instit. orator. lib. X, cap. II.
[4] Cic. in orat. ad Brutum cap. IX.
[5] Cic. loc. cit. cap. XIX.

quod optavit, dicendo assequutus est, ad Demosthenem animo feror: cuius nomen, dum suus eloquio honos suaque constabit dignitas, recenti laude succrescet, omniumque per ora ceu dux et moderator oratoriae facultatis commendabitur. Me sane in eo exornando verba deficiunt; subvereor enim ne eius laudes culpa ingenii imminuam: cum vel Tullius oculos in Demosthenem coniiciens admiratione defixus haeserit [1]. Enimvero Philippus macedo, cum sibi res cum atticis foret, non athenarum classes, non instructas ad praelium copias, sed unius Demosthenis vocem reformidans, faces et fulgura ex eius pectore erumpere affirmabat: eumque cum Isocrate componens, pugiles Isocratem, praeliantes Demosthenem referre diiudicavit. Nec falsus animi fuit. Palaestrae enim gymnasiisque Isocrates aptior quam pugnae, quippe qui teretes religiosasque atheniensium aures nitore stili, leni orationis circuitu et flexu demulcet, inque florentissima exornationis segete immoratur: contra ea Demosthenes in aciem dimicationemque forensem obarmatus descendit: primo congressu animos occupat, iudices incendit, auditores quo res cumque postulat, rapit versat propellit, fulmineo gladio decernit, strictamque mucronis aciem hostibus offert. Si vobis optio daretur, iuvenes ornatissimi, umbratilisne ludi pugiles, an castrenses explicatique in praelio milites esse malletis? Si manus conserendae, utra ad hostes sternendos commodiora; levesne hebetesque gymnasiorum gladii, an anceps et letifer? in proclivi

[1] Tullius in oratore ad Brutum cap. II, et VII.
Plutarchus in Cicerone.
Quintilianus, instit. orator. lib. X, cap. I.

est deliberatio. Quid enim ad victoriam aurea monilia, quid galeae nitor, quid gemmis rutilans, bullis discreta, auroque squallens lorica, quid baltei capulique decus? ita ad coarguendum, remque evincendam impedimento tibi non praesidio erunt verborum phalerae, ornatior circumscriptio et numerus pondere argumentorum nervisque carens: quo in genere primas tulit omnium concessu Demosthenes. Cum enim in asperrima tempora et turbulentissimas tempestates incidisset Demosthenes, remque publicam civilibus studiis mutuisque odiis perturbatam offendisset; graviter exarsit, caputque iis fluctibus obiecit, qui capiti fortunisque civium imminebant. Athenienses enim viribus exhaustos, desidie effoetos, bellis desuetos et cessantes, simultatibus detritos, animo concidentes et fractos, inque supremum vocatos discrimen erigit, labantes firmat, in consensionis globum cogit, consilio munit, bellicoque aestuantes studio in hostem evocat. O eximiam dicendi vim, o incredibilem ac pene divinam eloquendi laudem, o victoriam Alexandri Caesarisque triumphis longe clariorem!

Enimvero romana facundia, in qua difficile est enumerare quot viri quantaque ubertate et copia claruerint, graecorum legibus et exemplis constituta est [1]: utque in uno Tullio, quo duce et auctore in urbem invecta est, et effloruit eloquentia, nostra commoretur oratio: totum se ad graeca contulit Tullius, eorumque imitatione stilum effinxit. Nemo enim romanorum arrectiores graecis aures adhibuit, quam Tullius: nemo graeca per otium volvere, inque latinos

[1] « Latina mihi facundia graecae discipula videtur. » Quintilianus inst. or. lib. II, cap. X.

modos transferre impensius consuevit: hinc factum ut atticorum in se unus virtutes referret, eumque Demosthenem romanum iure dixeris. Cum Demosthene Tullium conferte auditores; quae virtus utrique insit, mecum dispicite. In oratione struenda, in iis quae fidem faciunt, inveniendis, inque locandis argumentis ordo par ac pene idem; in eloquendo alter alteri nonnihil absimilis: ille pressior, hic latior, ille adstrictior, hic fusior: illi nihil quod detrahas, huic nihil quod addas. Fortuna quoque ludum insolentem ludens pares qua calamitatis qua gloriae vices ostendit. Uterque enim novus, uterque aut nulla aut tenui commendatione maiorum ad rem publicam accessit, viamque sibi ad amplissimos honorum gradus eloquentia causisque in foro versandis communivit. Senatus gravitatem, iudicum religionem, civium mentes, quo voluit, uterque convertit; in capitis iudicium vocatos servavit, in perduelles sublestaeque fidei cives, communique incolumitati pestiferos iure egit, nefaria consilia retexit, vitam fortunasque a caede et direptione sospitavit: uterque salutis publicae custos, libertatis adsertor et vindex, patriae sospitator et parens comitiis plaudentibus praedicatur; utrumque vero, quae eos ad fastigium dignitatis evexerat, eloquentia popularisque aura praecipitem exturbavit. Tullius enim capite a M. Antonii satellibus obtruncatur, Demosthenes, ne in hostium manus veniret, necem sibi veneno conscivit: nec eorum funeri diu atheniensis et romana res publica superfuit. Itaque Tullium tum eloquio tum vitae vicibus alterum Demosthenem iure nominamus [1]. Suus quoque est rei christianae

[1] Quintilianus emunctae naris rhetor Tullium cum Demosthene

Demosthenes, suus Isocrates, suus Aeschines. Ad omnem eloquentiae dignitatem et copiam Athenis, graecis doctoribus adhibitis, sese finxerunt praecones veritatis, et fidei propugnatores Basilius, uterque Gregorius, aureoque dignus nomine Chrysostomus, qui frenum vitiis iniecit, solutam morum licentiam coercuit, Gainam gothum hominem ferrum flammasque intentantem fregit, Theodosium ira correptum leniit, cumque ne concitatae multitudinis quae eius uxorisque Eudociae augustae signa proturbarat, comminuerat, petulcoque pede proculcarat, cruore manus inquinaret, deterruit; cuius eloquii vis a circensibus ludis ad sacros conventus cives traduxit, quo dicente toties consurrectum est in plausus; quo demum duce et auctore Paulus Segnerius ad eam ubertatem et copiam accessit, quae illi itali Chrysostomi nomen invenit [1]. Quocirca mirari desinamus, tam uberes a graecia in eloquentiam fructus permanasse, cum apud athenienses praeter ceteras gentes dicendi facultas floruerit, eorumque tam acre de oratoribus iudicium exstiterit, nihil ut absonum rude et incomptum possent aequis auribus accipere [2].

Venio nunc quo me postremo loco compellat oratio,

componens in hanc concedit mentem: « cedendum vero in hoc » quidem quod et ille prior fuit, et ex magna parte Ciceronem » quantus est fecit. » Instit. orator. lib. X, cap. I.

[1] Paulus Segneri quo loco Chrysostomi conciones habuerit, ex eo coniectes, quod argumenta ad rem evincendam bene multa ex eo extudit, eius virtutes expressit, eumque sibi ob oculos ceu absolutum exemplar ad imitandum proposuit, eumque iure nuncupat « il mio eloquente maestro. » Quaresimale predica XXI, num. V.

[2] Tullius in orat. ad Brut. num. VIII.

ad artium optimarum longe pulcherrimam, ab aethereis sedibus ad nos demissam, mentis excitatricem, virtutis animique datricem, quae Deum spiritu afflantem humana pectora fert auctorem, primosque vates caelestium sedibus inserit. Enimvero poesis, reliquis plagis posthabitis, sedem sibi in attica praeoptavit, suumque ibi domicilium constituit. Ubi enim, graecis hoc loco utar imaginibus, graeco ore loquar, Mnemosyne novem sororum chorum est Iovi enixa? ubi Admeti greges pavit Apollo silvas eburneo demulcens plectro? ubi saxa auritosque montes movit Amphion? ubi raptam Eurydicem flebilibus numeris quaesivit Orpheus? ubi castalii latices, ubi ascraea iuga myrtis lauroque virentia, ubi arcadia, ubi Permessus, ubi Maenalus, ubi aonia Aganippe [1]? Verum haec poeticis decora fabulis missa faciamus, et ad rem, quam quaerimus, accedamus. Nullum carminum genus est, quod non attigerint graeci: omnis exquisitior et electior forma poeseos ab iis exculta et absoluta. Si te choreae cantusque iuvant, theium Anacreontem lege, quem in charitum gremio diceres enutritum: si animo tolli sublimis, et in altos nubium tractus evehi expetas, dircaeum cycnum audi, quem divino numine correptum nemo non existimat. Si cothurno tragico caperis, quid Aeschine, quid Sophocle, quid Euripide ad iram ad furorem ad lacrimas vividius, quid concitatius? Si cachinnis salibusque atticis animum relaxare curisque edacibus solvere aveas, Aristophanem et Menandrum evolve, quibus salsius nihil, urbanius nihil. Si pastorum iurgia

[1] « soli cantare periti
» Arcades. » Virg. ecl. X. v. 32.

querimonias certamina cantus vitamque nullis exercitam aerumnis, nullis civilibus commotam turbinibus studeas intueri, Theocriti, Moschi, Bionis idyllia campestri animum voluptate mulcebunt. Quid muliebre ingenium, quid femineum melos valeat, Sappho, Myrtis, Corinna ostendent; quae postremae cum Pindaro de lyrici carminis laurea decertarunt. Vel paucis vocibus hiscere reformido, cum mihi vatis illius sese offert imago, de cuius natali solo urbes graecae decertarunt: a quo ceu perenni fonte suos corrivant latices reliqui poetae [1]. Quis enim in iliade, quis in odyssea locus venustissima non assurgit imagine, quis legentium animos non agit, impellitque? quid non affabre elaboratum, aut quid heroici carminis dignitati impar? Jupiter nutu tremefacit olympum, Neptunus tridente aequor concutit, Mavors medias inter acies furore aestuat, Apollo nocti similis ad argiva castra descendit, eiusque ex humeris pharetra, letiferaeque sagittae tinnitum cient. Qua vero virtute, quam praestanti indole heroes! Nestor annis et prudentia canus regit dictis animos, temperat iras, lites et iurgia

[1] « Humani ingenii modum excedit; » haec de Homero Quintilianus instit. orator. lib. X, cap. I.

Homerus a Longino themate IX de sublimi praedicatur μεγαλοφυὴς divinae mentis.

Theocritus idyllio XVI Charites vers. 20.

« Ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος »
» Sat omnibus est Homerus. »

Moschus vero in epitaphio Bionis idyl. III vers. 72.

« Ἀπώλετο πρὰν τοὶ Ὅμηρος
» Τῆνο τὸ Καλλιόπας γλυκερὸν στόμα. »
« Heu tibi pridem decessit Homerus
» Mellita lingua Calliopes. »

componit, eoque dicente facta silentia, omnesque auribus arrectis adstant: Menelaus ceteros eloquio et proceritate supereminet, oris et corporis habitu regiam Agamemnon dignitatem prae se fert, vehemens Diomedes, impavidus Aiax, magnanimus Achilles sanctumque amicitiae foedus ulciscens: mari terraque actus Ulysses, casibus exhaustus, sibi constans, callidus cui verba dare difficile est, fida propositique tenax Penelope, parentis desiderio oblanguens Telemachus. Jamvero Aeneidos opus, quod laudibus in caelum evexit sublime posteritas, nonne a capite ad calcem homerica imitatione florescit? Paucis absolvam: aeolicum antrum, poenorum portus, foeda in troianos immissa tempestas, nonne ab Homero expressa? Aeneas ab inito cursu ventorum vi in africam proturbatur, Ulysses ad corcyraeum sinum: Ulyssi Minerva, Aeneae Venus occurrit ignota: hic nube septus ad Didonem, ad Alcinoum ille accedit: Demodochus inter epulas canit, Jopas carmen aureis fidibus modulatur. Ad Anchisae tumulum ludi instaurati, Miseni manibus iusta persoluta, pyrae strues, proh quam similia inferiis Patrocli! Palinuri obtestatio, sacra diis stygiis, averni descensus, Deiphobi foedus aspectus, Tityi supplicia, efferum Didonis silentium, Anchisae monita, quam expresse referunt Helpenoris preces, Ulyssis sacra, Agamemnonis querelas, Tantali poenas, Aiacis silentis iram, hortatus Tiresiae! Aeneas cum Turno, Hector cum Aiace congreditur; Turnus et Drances mutuis se petunt conviciis, Achilles et Agamemnon nec irae nec iurgiis parcunt. Quid multis? minutiora quaedam sciens praetereo quibus confici posset Virgilium sua in carmina vel Homeri sententias transtulisse. Jure ergo Macrobius censuit, Virgilii carmina ab homerico

speculo lucem, radiosque mutuari [1]. Quod si reliqua carminum genera circumspicias; quid Hesiodo georgica, Theocrito bucolica debeant, proclive tibi erit decernere [2]. Horatium vero a Pindaro, Propertium a Callimacho,

[1] Macrobius, Saturnalium lib. V, cap. II: « omne opus vir» gilianum velut de quodam homerici operis speculo formatum » est »: et cap. III addit quosdam Homeri a Virgilio « versus ad » verbum pene translatos. »

[2] Ut sententias singulas subiectis confirmare exemplis supervacanei operis foret, sic nullis suffulcire, incurium suboleret scriptorem, indiligentem, fugitantemque laboris. Itaque ut tum brevitati, tum causae quam tuendam suscepi, consultum sit, paucis dabo, quam saepe Virgilius et sententias sententiis graeci vatis, et verba verbis ceu fidus interpres reddat. Componamus, si vacat, Virgilium cum Theocrito, eclogas cum idylliis, inque unam eclogam IX oculos coniiciamus.

Virg. ecl. IX, v. 1. « Quo te, Moeri, pedes? »
Theoc. idyl. XIV, vers. 42. « Ἆ πόδες ἄγεν; »
Virg. ecl. IX, vers. 23.

« Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas,
» Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
» Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. »

Theocr. idyl. III, vers. 3.

« Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
» Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε, Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνόρχαν
» Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μὴ τὸ κορύψη. »

Virg. ecl. IX, vers. 32.

« Incipe si quid habes: et me fecere poetam
» Pierides: sunt et mihi carmina: me quoque dicunt
» Vatem pastores, sed non ego credulus illis. »

Theoc. idyll. VII, vers. 35.

« Ἀλλ' ἄγε δὴ... βωκολιάσδώμεσθα·
» Καὶ γὰρ ἐγὼ Μοισᾶν καπυρὸν στόμα κἠμὲ λέγοντι
» Πάντες ἀοιδὸν ἄριστον· ἐγὼ δὲ τὶς ὀυ ταχοπειθὴς
» Ὀυ δάν. »

Terentium a Menandro, poetasque reliquos latinos a graecis electiores flores ceu sedulas apes delibasse nemo, qui litteras attigit, non existimat. Itaque cum per extentos late fines graeca poesis se fundat, suaque luce omnia carminum genera coloret; facile intellectu est, quantum iis detractum sit praesidii, qui graecarum litterarum expertes animum ad poesim adiungunt: ut enim mella, quae thymo redolent, suaviora, sic carmina, quae atticum quid sapiunt, electiora ducuntur.

Jamvero animos ab hac dicendi contentione laxemus, bonamque spem et certam ineamus fore ut in italia graecae artes litteraeque reviviscant, sine quibus squallent gymnasia, humi iacent studia, torpent ingenia, nec ad singulare et

Virg. ecl. IX, vers. 43.
« Huc ades: insani feriant sine littora fluctus. »
Theoc. idyl. XI, vers. 43.
« Τὰν γλαυκὰν δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθεῖν. »
Virg. ecl. IX, vers. 54.
« Lupi Moerin videre priores. »
Theoc. idyl. XIV vers. 21.
« Λύκον εἶδες. »
Virg. ecl. IX, 57.
« Et nunc omne tibi stratum silet aequor,
» Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae. »
Theocr. idyl. II, vers. 38.
« Ἠνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται. »
Virg. ecl. IX, vers. 59.
« Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum
» Incipit apparere Bianoris. »
Theocr. idyl. .VII, vers. 10.
« Κοὔπω τὰν μεσατὰν ὁδὸν ἄνυμες, οὐδὲ τὸ σᾶμα
» Ἁμῖν τῶ Βρασίλα κατεφαίνετο. »

praestans queunt assurgere [1]. Quamobrem gaudiis cumulor, vobisque, eximiae spei adolescentes, gratulor, quod superiore anno ad exitum vergente publicum in graecis litteris tentamen inivistis, Demosthenem et Homerum ad grammaticas et rhetoricas leges exegistis, si quid difficilius intercidisset, e vestigio enodastis, eorumque sententias italis sententiis subiectis commode evolvistis. Fixum vobis immotumque sedeat, ut ex me saepenumero accipitis, eo uberiores e vestris studiis fructus percipi, quo arctiori vinculo graeca latinis devincientur [2]. Graeca supellex lateat inertes, argivae litterae fugiant incurios; vos in hoc studium in quo estis, incumbite, ut vobis honori, patriae praesidio, rei publicae dignitati esse queatis: vestrisque saepe animis Horatii praeceptum recurset

« Vos exemplaria graeca
« Nocturna versate manu, versate diurna [3]. »

[1] M. Antonius Muretus cum graecum carmen M. Antonio fratris filio mitteret, his cum verbis compellat: « idem in graeca » lingua experiri volo; sine qua saepe audis ex me, latinam man- » cam et mutilam esse, nec satis uberes ex ea fructus percipi » posse. »

Erasmus in eamdem ac Muretus concedit sententiam: « lati- » nam eruditionem citra graecismum mancam esse et dimidiatam. » Epist. LXXV, oper. tom. III. edit. Lugd. MDCCIII.

[2] Temporum testis et veritatis nuntia historia nos monet, latinas nostratesque litteras in europa refloruisse, cum seculo XV graecae in eam litterae ceu postliminio remigrarunt.

[3] Horat. in arte poetica.

ORATIO PARAENETICA

AD POESIM EXCOLENDAM

HABITA IN COLLEGIO PLACENTINO
IN INTEGRATIONE STUDIORUM VIII KAL. DEC. MDCCCXL.

Credo ego vos, placentini cives, mirari quid sit, quod in conspectum vestrum prodire, in hac virorum eruditorum corona, in tanta civitatis luce homo novus, nulloque vobis ingenii nomine commendatus ausim hodierna die e superiore loco vos alloqui [1]. Nec vero mediocriter afficior, et modo non animum despondeo, cum nihil studiis vestris, nihil vestra dignum expectatione haec mea vox vobis ignota, atque ab hoc aditu laudis remota queat afferre. Quae enim duae res plurimum apud auditores possunt, eorumque animos oratori adiungunt, eae contra me ambae faciunt hoc tempore, consuetudo et eloquentia, a quarum neutra praesidium mihi et perfugium patet. Quid ergo? audaciorne ego? minime. Aut enim detrectandum munus et

[1] Cum Veronam ineunte mense novembri contenderem, Placentiae paucos dies substiti, ibique antistitis nostri hortatu hanc habui concionem; collegio praeerat vir physicis et mathematicis doctrinis, quas diu docuit, apprime imbutus, moribus facillimis, ingenio mitissimo, vitaeque innocentia amorem omnium meritus Barptolemaens Bonelli: qui Florentiae honesto loco editus, sui desiderium Brixiae reliquit VII idus septembres an. MDCCCXLVII, cum annum ageret LIX.

roganti obsistendum, quod ab honestate abesse duxi, cum id a me illi contenderent, qui et auctoritate et benevolentia plurimum possunt: aut imprudentiae nota subeunda. Itaque malui in me prudentiam, quam obsequendi voluntatem desiderari. At vero curarum, quae me in diversa agunt, molem relevat humanitas vestra et facilitas, viri praestantissimi, qui me apud vos brevi divertentem omnibus amoris significationibus complexi, non advenam sed accolam habuistis. Huc accedit, quod societatem nostram accitu vestro apud vos constitutam vestro praesidio munistis, vestra ope firmastis, voluntate vallastis, novisque in dies singulos benefactis ornastis. Me enim silente, satis loquuntur amplissimi huius collegii parietes, satis sacra haec aedes per vos opesque vestras a squallore ad nitorem novumque decus revocata. Cui benevolentiae ut eam, quae per me licet, gratiam rependam, hoc salebrosum dicendi munus haud plane invitus obivi. Nec vero qua de re apud vos foret disserendum, ancipiti mente diu mihi versandum fuit. Cum enim rhetoricae artis alumni sub anni exitum ingenii doctrinaeque specimen singulare ediderint, suique periculum non sine insigni commendatione fecerint in re poetica, eiusque naturam callide vestigarint, partesque singulas acriter enuclearint: cumque ad hanc praeter ceteras artes excolendam vestros iuvenes naturae habitu agi et vehementius rapi didicerim: hac famae celebritate, hisce plausibus admonitus optimum factu duxi, morem bonae spei adolescentibus gerere, eorum obsequi studiis, verbaque de re poetica serere. Itaque mihi paucula de poesi delibanti gratulari posse iure videor, quod currentibus calcar subdo, eaque in urbe sermonem instituo, in qua de manu haec laus in

manum transmissa novis in dies accessionibus amplificatur. In ipso enim orationis vestibulo atque aditu vestra mihi occurrit academia; e qua cives vestri Salicetus, Thebaldus, Fulgosius, Paverus prodiere: occurrit Aloisius Cassola Leonis X aures suavi carmine demulcens, et torque aureo ab eo donatus; occurrit Constantius Landi ab Amasaeo ad omnem humanitatem institutus; Antonius Cornazzani res gestas Sfortiadum carminibus persecutus, Georgius Valla rhetor, quem poeticas leges fuse ornateque evolventem veneti, patavini, papienses, bononienses praemiis laudibusque certatim honestarunt [1]. Horum mihi obversantur imagines: horum voces exaudire, horum interesse sermonibus, horum mihi videor hortatibus ad poesim oratione mea attingendam impelli. Itaque mihi in animo est evincere, nihil poesi, si originem spectes, divinius, si naturam pulcrius, si finem utilius inveniri. Ad propositum veniamus.

Antequam puriores veri fontes adeamus, ex quibus recta de poeticae facultatis primordiis sententia ducitur, non abs re erit, graecorum mentem rimari, quae licet fabularum involuta commentis, liquido tamen aperit, quid senserint. Nulla ars eorum iudicio sanctior, nulla maioribns devota mysteriis, nulla quae ad Deum propior accedat, quam poesis; haec Deum fert auctorem, primosque vates numero mortalium eximit, caelitumque ordinibus inscribit. Et sane Plato poetas sanctos habet, Dei nuntios, Dei interpretes: eos Dei afflatu autumat excitari, Dei appulsu ad canendum agi, eorumque in animis a Deo iniectam

[1] Tiraboschi, Storia della letteratura italiana, tom. VII part. I. Poggiali, Memorie storiche di Piacenza vol. VI.

et inclusam praesagitionem futuri [1]. Apollinem poetarum ducem et auctorem, et musas, quae carminibus praesunt, Jove satos fabulantur [2]. Plectrum, fides, fistulam, modosque musicos quibus sociantur carmina, a diis inventa primosque in usus deducta ferunt. Me non fugit, vosque non latet, haec ludicra graecorum esse commenta. At enim viri eruditissimi, quos inter memoro Angelum Politianum et Joannem Vincentium Gravinam, contendunt fictitio fabellarum obtegmine non vulgarem veritatem obvolvi. Veteres enim philosophi, ut morem ingeniis hominum gererent, quorum oculos vividior veritatis fulgor perstringebat, sese in fabulas coniecere, harumque obtentu veritatem hominum animis inseruere. Itaque si cortice fictitiisque involucris sententias eorum exuamus, si quid rectum,

[1] Plato in Jone pag. 350, vol. I, edit. Henrici Stephani.

In eadem est mente Tullius pro Archia, ubi poetas sanctos appellat, eosque divino spiritu afflari contendit.

Ovidius lib. VI Fast. carm. VI.

« Est Deus in nobis: agitante calescimus illo:
» Impetus hic sacrae semina mentis habet. »

Horatius lib. I sat. IV.

« Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
» Magna sonaturum, des nominis huius honorem. »

Tullius disput. tuscul. lib. III, cap. 21 et 23.

[2] Homerus Odyss. lib. VIII. vers. 334.

« Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων. »
« Jove satus Apollo. »

In Mercurii hymno, quem multi tribuunt Homero, vers. 534, Apollo unus in Jovis consilium adsciscitur.

Aeschylus Eumenid. vers. 19.

« Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός. »
Nuncius, et summi mens est genitoris Apollo.

arripiamus, si quid secus, repudiemus, haud magni laboris erit nosse, summo habitos in honore poetas, divinumque poesi exordium attributum.

At vero ex hisce cancellis educenda est quaestio, inque patentius aequor oratio provehenda. Numquam mihi, ut liberius eloquar, persuaderi potuit, Adam recens conditum, cum primum in hanc rerum universitatem a Deo eductus est, ceu mutum hebesque pecus conticuisse, nulloque carmine gratum animum erga auctorem et parentem Deum extulisse. Innubis ridentisque caeli conspectus, tellus nullo cogente floribus ornata, iuga virentia, acclives colles, animantia hominis imperium non detrectantia, alia gradiendo, alia nando, alia volando, alia serpendo, impune pastus carpentia, nullique noxia excitare hominem ad laudes opificis et aedificatoris tanti operis debuere: eo vel magis, quod nullius carminis genus, nullum melos, nulla ars, nullaque scientia Adam praeteribat. Ne autem videar coniecturis indulgere, nutantique inniti iudicio, carmina pervetusta indubiis litterarum monumentis consignata scrutemur; quae si Dei afflatu condita fuerint, nae causa in tuto est. Enimvero ut a quorumdam eruditorum sententia recedam, qui in Noemi verbis Cam increpantis, et in Jacobi, Isaacique vaticiniis, quibus bene filiis nepotibusque seris precati sunt, poeticos numeros deprehendunt [1]; nonne carmen primum in erythraei ripis assonuit? cum hebraea gens ab aegyptiorum internecione sospes, siccis vestigiis iter mare per medium capessens, fluctibus hinc

[1] In hanc concessit sententiam Robertus Lowth. Thesaurus Ugolini tom. XXXI pag. 204 edit. venet.

atque hinc immotis, certaminis expers copias hostium multitudine innumeras, armis instructas, ira percitas, sibi a tergo imminentes, ad caedem evocatas, gurgite abripi, volvi, et mergi est conspicata: cui carmini nec chorus nec tympana manu puellarum quassata defuerunt [1]. Sed aut antiquior, aut suppar, aut non longius dissita aetas tulit mirum idumaei Jobi poema [2]; in quo carmine sive subitam rerum conversionem, sive aequam viri mentem tot inter casus, sive colloquia ultro citroque cum amicis inita, sive sermones Dei eorum sese immiscentis colloquiis intuearis, nihil non reperies sublime, novum, quam longissime a communi loquendi ratione remotum. Quamvis vero obscurae, subdifficiles, involutaeque occurrant sententiae, quae prima fronte legentem fugiant: affulget tamen lux quaedam, modo vividior, modo fractior et intermissa, eodem semper ducens; quam siquis sectetur attentius, operis ordinem, partium nexus, finemque scribentis assequetur: eo enim spectat idumaeus vates, ut numinis aeterni in rerum humanarum vicibus regendis consilium tueatur, rebusque adversis aliquando iustos, nulloque scelere obstrictos conflictari ostendat, quo eorum virtus probatior eniteat, amplioribusque praemiis ornetur.

At vero carmen supremum, quod Moses antequam diem suum obiret, cecinit, nonne divinae vi adscribendum est, quae canenti adfuit, caelestique luce loquentis mentem perfudit [3]? Quaedam summis, ut aiunt, labiis delibemus.

[1] Exodi XV.
[2] Bible de Vence tom. IX, préface sur le livre de Job.
[3] De canticis Mosis Exod. XV, et Deuter. XXXII ait

Quid carminis aditu nobilius? vox Mosis non mortale sonans, caelum terramque compellat, ut arrectis auribus adsint, suaque pronis animis verba hauriant, quae ceu ros tenero gramini affusus, ceu imber laetissimus reficiens sata, viresque et vitam frugibus ministrans, audientium mentes recreent. Exin quae, quantaque dignitas sententiis, quae vis affectibus inest! qui carminis color, quae species et forma! Imago imaginem excipit, eloquii figura figuram: nunc vates, modo Deus loquitur: amor, ira, minae, spes, metus raptim immiscentur. Deus populum suum sospitans aquilae confertur, quae pullos protentis pennis tutatur, atque ad alarum remigium edocet: Dei ira malefactis lacessita rotantibus flammis componitur, quae vel ima montium corripiant et peredant: eius gladius fulmineus, sagittae cruore saturae [1].

Quid ego festivam oden proferam, qua Debora gentis suae antistita et vates, postquam Sisara trabali cuneo infixus occubuit, Deo sospitatori ἐπινίκιον cecinit [2]? quid reliqua carminum genera persequar? cum nullam poeseos formam invenias, sive ἐπιθαλάμιος sit nuptiasque celebret, sive gravis moresque informet, sive moesta funusque lamentis prosequatur, direptiones civiumque caedes exsilia casusque ingemat, sive ἐυχάριστος gratiasque persolvat, sive δραματικὴ sermonemque viris mulieribusque tribuat, sive irarum habenas effundat, sive laetitia

s. Ambrosius: « Haec duo cantica in libris Moysis, tamquam duo » mundi oculi caelique lumina totum corpus operis illius illu- » strant. » Praef. in psal. num. 5.

[1] Deuter. XXXII.

[2] Judic. V.

gestiat: quam Deus hebraeis non afflarit? Ipsi illi viri, qui aut aeterni numinis monita arcanamque mentem populo retegebant, aut tantis debitam flagitiis Dei vindicis iram, cladeinque intentabant, aut vota, quorum erant rei, exsolvebant, aut futuras gentis vices adversa inter et secunda praecinebant, nonne poeticos numeros, Deo afflante, adhibuere? Jonam vota fundentem exaudite, tres viros mediis in ignibus sospites, Deumque laudibus uno ore extollentes accipite; cantica Judithae, Estheris, Ezechiae, Tobiae, Habacuc sollertius evolvite; Davidis psallentis gaudia, metus, preces, ploratus, in sacra pompa deducenda hymnos acutius dispicite: quid non divinum, quid non a pedestri sermone alienum, Deoque haud sane dignum occurret? Quamobrem cum hebraea carmina e gentium ceterarum poeticis monumentis una supersint, illisque longinqua aevi vetustate antecellant, cumque singula Dei instinctu condita sint; fluit profecto, ab auctore et parente Deo exordia, primasque carminum origines esse repetendas. Sacros enim vates agebat Deus, ut animum ad scribendum appellerent; illis aderat, ne aberrarent, suaque communiebat ope, ut caelesti numine digna ederent [1]. Non me latet, auditores, id grave nimis et ingratum illis accidere, qui vesano in res sacras furore correpti, religionis fundamenta convellere adnisi sunt; hinc agmine facto indorum, persarum, sinensium reliquias, et vestigia antiquitatis excusserunt, ut codicum sanctissimorum fidem labefactarent, eosque de antiquitatis iure deiicerent. Hinc sacros sinarum

[1] Jure sacer vates hanc fudit sententiam ps. XLIV, 2 « Lin» gua mea calamus scribae velociter scribentis. »

libros, quos Kings nominant, hinc persarum volumina, quae Zend-avesta, hinc codices indorum, quos Vedas nuncupant, impudenter depravant, nobisque obtrudunt. At vero hominum aut inscitiam, aut sublestam fidem, aut simul utramque in solem eduxerunt, eorumque male ominatos ausus contuderunt viri eruditissimi, qui operam in antiquitatis monumentis curamque posuerunt [1].

Haec de poeseos origine, nunc ad naturam veniamus: cui tanta inest venustas et gratia, ut animos rapiat, inque sui admirationem traducat. Quae venustas qui decor non elucet in tabulis manu magistra vivoque expressis colore, aut in signis e marmore graeca arte excusis, quibus praeter sermonem et motum nihil ad vitam deesse duceres? Permulti enimvero fatentur, cum animi causa in marmoreas Apollinis et Minervae statuas, aut in colores a Raphaele et Zampierio illitos udo intendunt obtutum, se omnibus cumulari laetitiis, nec spectandi posse finem facere, et invitos a conspectu illo distrahi. At enim eorum, qui eas excolunt artes, bona pace dicam, maximo intervallo

[1] De sinensium libris consule Mém. de l'Acad. des inscriptions. tom. LXV.

Fréret Dissert. sur l'antiq. et la certitude de la chronologie chinoise.

P. Ko, mémoires tom. I.

Klaproth, asia polyglotta.

De persarum libris consule Antequetil, Zend-a-vesta tom. I. sec. part.

Beausobre hist. des manich. tom. I.

Hyde, veter. persar. religionis historia, praef.

De indorum libris consule W. Jones, Wilson, Bentley, asiatic researches, tom. II, VII, VIII.

poeticam venustatem pictis aut exsculptis imaginibus longe praestare. Ut facilius in meam concedatis sententiam, stat conferre, si vestro id animo sedet, mirum artis opus cum insigni summi vatis narratione.

Superstes integerque extento annorum lapsu manet in vaticanis aedibus Laocoon cum geminis natis e marmore constitutus, graecum opus. Infelix miserrimae prolis parens, anguineis spiris implicitus letales abrumpere nodos contendit, et sanie atroque perfusus veneno quidquid in se virium inest, exserit, ut se natosque semineces tenacibus expediat vinculis. Arrecti Laocoontis crines, oculi mortis ingruentis horrore defixi, genae pestifero draconum afflatu tabentes, os gementi, opem imploranti, de effugii spe deiecto assimile: membrorum contentio, brachiorum manuumque contorsio, articulorum hinc productio, illinc contractio: ne exigua quidem corporis pars motu flexuque non laborans: vivum Laocoontem adspectas, eiulatus edentem exaudis: tantum animi saxo informi manus atticae afflavere. Jamvero cum Laocoontis expressa a Virgilio imagine quod signum, quae tabula potest componi? quo concitatiores in aeneide motus, quo vividiora rei gestae adiuncta, quam variae novaeque species! quae frustra in marmore expetis: in hoc enim unus aut alter, aut sane perpauci affectus, quos marmoreum signum praefert; in illa multiplex, seseque excipiens, quem prodit exseritque descriptio. Primum omnium Virgilius prodigii novitate animos legentium arrigit: pietatem erga innoxium culpaque vacuum parentem ciet, eumque sacris operari, solemnesque hostias ante aras mactantem refert: quae divina res dum perficitur, duo dracones immani corpore a Tenedo ad iliacum

littus adproperant: hinc animi suspensio, hinc metus, hinc pavor, hinc discriminis imminentis horror. Sanguineae cristae, et anguium pectora summis ex undis eminent: immensum caudae volumen dracones sinuant, spiras erigunt et arcuant, fluctus feriunt, spumas cient: oculi sanguine horrendum rubent, igne ardent; linguas vibrant, ora tabe manantia lambunt. Quis ferreus horrore non distringitur? Parva natorum corpora peti, spiris obligari, morsu peredi intuens Laocoon advolat sui et periculi immemor: at angues nexu ilia collumque misero revinciunt.

Possem hoc loco, auditores, Ugolinum comitem fame in Pisarum custodia cum filiis enectum a Leonardo Vincio expressum cum imagine spirantibus expressa carminibus ab Alligherio comparare; possem raptum Proserpinae, gigantum certamen, Turni necem, Aeneae Troia capta fugam, beneque plures tabulas cum Ovidii, Virgilii, Lucani descriptionibus conferre; possem et alia artis monumenta, quae Romae, Venetiis, Florentiae, Neapoli adservantur cum poeticis narrationibus componere; sed nota sunt vobis: nec mihi apud vos dicenti tanta exemplorum segete opus fore duco, ut evincam, poeticas imagines omne vel peritissimi artificis opus venustate et gratia quam longissime anteire. Jamvero si animo naturam poeseos amplectamur, simulque perscrutemur, in quo pulcri vis insit et ratio; quanta venustas quantusque decor in carminibus eniteant, nullo labore assequemur. Quidquid enim in hac rerum universitate spectabilius, quidquid in religione sanctius, in moribus hominum nobilius, in animorum motibus vividius, in eloquendo elegantius, in

sententiis altius, in artibus venustius, quibus in omnibus sita est pulcritudo [1]; hoc suo iure sibi adsciscit et vindicat poesis.

Enimvero numquam dicendi exitum invenirem, si venustiores imagines, quae in Virgilio, in Theocrito, in Homero, ceterisque aureae aetatis poetis nos vividius capiunt, vestris, auditores, oculis subiicerem: pauculas ea lege delibabo, ne reliquis meo silentio quidquam aut gratiae imminutum aut de venustate detractum censeatis. Quî pastoris desiderium exprimes mollius quam Meliboei querela, quae vel ipsas pinus, ipsos fontes, ipsa arbusta Tityrum vocantia refert [2]; aut crudeli funere peremptum flebis, quam cum nemus lacusque Umbronem gementes inducit [3]? Quid ad imaginem senis villici quietum in agris aevum traducentis potest accedere? in qua narratione omnia ad innocuam voluptatem adiuncta componuntur: fontes sacri, frigus opacum, levis apium susurrus mollissimos suadens somnos, frondator, dum folia stringit, ad auras canens, turtur ab ulmo aeria ingemens; quas imagines e Theocrito expressit

[1] Nec temporis, nec loci huius est fusius persequi leges, quae venustati et formae moderentur; eas amplexus est P. Andrè e S. J. in aureo libello, quem pretium operis est evolvere. Saggio del Bello. Firenze MDCCCXXXIII.

[2] Virg. ecl. I vers. 39.
« Tityrus hinc aberat: ipsae te Tityre pinus,
» Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant. »

[3] Virg. Aen. VII, 760.
« Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda,
» Te liquidi flevere lacus. »

Virgilius [1]. Sed hos molliores affectus graviora excipiant. Quis est animo tam agresti et duro, quem non permoveat Anchisae ad Marcellum acerbo funere extinctum conversio; quos versus ut audiit Augustus et Octavia, haec collapsa est exanimis, ille in lacrimas totus abivit [2]. Effero autem Didonis apud inferos silentio, quae ab Aeneae conspectu sese proripit, eiusque verba fuga abrumpit, quid truculentius? quid Deiphobo inhonesta narium auriumque vulnera obtegente miserius? Daedalus vero filii casus in auro caelare aggrediens, bisque inchoatum opus bis dolori impar abrumpens [3]; parens miserrima Euryali, exterrita

[1] Virg. ecl. I 52.

« Fortunate senex! hic inter flumina nota
» Et fontes sacros frigus captabis opacum:
» Hinc tibi quae semper vicino ab limite sepes
» Hyblaeis apibus florem depasta salicti
» Saepe levi somnum suadebit inire susurro;
» Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
» Nec tamen interea raucae tua cura palumbes,
» Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo. »

Hasce vitae rusticae imagines vivis diffusas coloribus Virgilius sibi ad imitandum proposnit ex Theocrit. idyll. VII vers. 133-150.

[2] Virg. Aen. VI, vers. 882.

« Si quâ fata aspera rumpas,
» Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
» Purpureos spargam flores, animamque nepotis
» His saltem accumnlem donis, et fungar inani
» Munere. »

[3] Virg. Aeneid. VI, vers. 32.

« Bis conatus erat casus effingere in auro,
» Bis patriae cecidere manus. »

subito filii caesi nuncio, et corruens [1]; Pallas primaeva iuventa extinctus, Julus puer armiger, ille flori demesso, hic gemmae collatus [2]: Jupiter nutu concutiens olympum, aut eo dicente aetheris, ventorum, maris silentium [3]; fama caput caelo inserens, et gradiens solo [4]. Animi pendeo, an quid aut venustius, aut sublimius hisce imaginibus effingi queat, quas nemo nisi rusticus, aut hispidosus sensu suaviore non attinget.

Laudibus haud immeritis oneratur Homerus, quod sublimia sectetur, aequetque sermonis dignitate argumenti magnitudinem. Et sane cum Junonem curru invectam describit

[1] Virg. Aen. IX, vers. 475.
« Subitus miserae calor ossa reliquit,
» Excussi manibus radii, revolutaque pensa. »

[2] Virg. Aeneid. XI, vers. 68.
« Qualem virgineo demessum pollice florem
» Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi,
» Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit,
» Nec iam mater alit tellus, viresque ministrat. »

Virg. Aen. X, vers. 134.
« Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum. »

[3] Virg. Aen. X, vers. 115.
« Annuit et totum nutu tremefecit olympum. »

Virg. Aen. X, vers. 101.
« Eo dicente divûm domus alta silescit,
» Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
» Tum zephiri posuere, premit placida aequora pontus. »

[4] Virg. Aen. IV, vers. 177.
« Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit. »

Hanc imaginem Virgilius iisdem verbis transtulit ex Homeri Iliade IV, 443.
« Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. »

iugales equos tantum viae oculi ictu corripientes exhibet, quantum est prospectus caelum inter et aequor [1]: cum vero deos pugnae sese immiscentes refert, Martem tenebricosae procellae comparat [2], terramque addit ita quassari, ut rex infernus solio concussus expaverit, ne tristia regna immani hiatu dehiscerent [3].

At vero in ipso gremio et sinu religionis quaerenda est absoluta poeseos forma et species, vatesque Dei numine afflati sunt adeundi. Et sane longissimo intervallo supra latinos et graecos sese effert atque erigit hebraea poesis, cuius venustas propriusque color permultos

[1] Iliad. V, 770.
« Ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν,
» Ἥμενος ἐν σκοπιῇ, λεύσσων ἐπὶ οἴνοπα πόντον,
» Τόσσον ἐπιθρώσκουσι θεῶν ὑψηχέες ἵπποι. »
Quos versus sic in latinum converto:
Quantum nigrantis prospectas marmora ponti
E specula, alipedum tantum prosultat equum vis.

[2] Iliad. XX, 51.
« Ἄρης ἐρεμνῇ λαίλαπι ἶσος, »
Mavors nigranti turbini assimilis.

[3] Iliad, XX, 61.
« Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων, Ἀϊδωνεύς,
» Δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε· μή οἱ ὕπερθε
» Γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
» Οἰκία δὲ θνητοῖσι, καὶ ἀθανάτοισι φανείη
» Σμερδαλέ, εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ. »
Quos ita reddo:
Expavit, solio intremuit regnator averni
Horrendum inclamans: vasto Neptunus hiatu
Ne terram findat, pateantque reclusa silentum
Regna, situ senta, et divis invisa supernis.

latet. Neque enim in ea, ut quidam falso autumant, omnia commixta, omnia perturbata, nihil non loco et sede motum. Nobis siquidem hebraea legentibus id usuvenit, quod intuenti signum marmoreum affabre excusum, sed vetustate detritum, aut tabulam insignem, in qua cum molliores colores flexu temporis evanuerint, quaedam tantummodo lineares notae supersunt. Quod si ad eorum mores, vitam, regiones animum vertamus, eorumque adsimus aetati, et veluti coaevi coaeva legamus; omnia clarescent, sua se luce prodent, carminis hebraei ingenium, et indolem a communi lege dissitam assequemur. Motus concitati, sententiae pressae vividae eiaculatae, imagines creberrimae e rebus aliis translatae, dicendi genus sublime abruptum vehemens; sermonis ab uno ad alterum conversio, lumina figurarum perpetua. Translatio translationem excipit, loquens loquentem: modo psaltes, modo chorus, nunc Deus, nunc hostes, heic iustus, illic impius sermonem ineunt: vox, ira, gaudium vel inanimis tribuitur: montes, iuga, valles, rivi, flumina manibus plaudere, gaudio exsilire, voces iactare; Deus sagittas cruore hostili imbuit, rugit leonis ritu, ceu pardus inter carecta latitans in hostes insilit, ceu ursa catulis orba irruit; igni stipulas corripienti, turbini segetes sternenti confertur; spiritu halituque hostium turmas conficit. Libanus caput inter nubila attollens, cedrisque consitus; Carmelus messium vitiumque opima ubertate affluens; tellus aestivis mensibus arens, siticulosa; africus urens, nimbi praerupti, grando effusa, praeceps procella, torrentes brumalibus pluviis tumidi, fragosi; oves inter laeta pascua, boum praesepia, aries impastus frustra gramina quaeritans,

vitis, botri, torcular, segetes, messura, tritura, palma, olea, mel: praeter haec, orbis e nihilo eductio, Dei cum patribus conloquia, promissa, leges, praemia, poenae, minae, populi secundae adversaeque vices, isque in aegyptiis oris servitio pressus, sospes, persaepe signis caelestibusque significationibus monitus, sacra, hostiae, uberrimam imaginum segetem vatibus exhibuerunt. Quae nisi legentibus in oculis versentur, mentem scribentis nullatenus assequemur. Sed haec confertim: nunc paucula singillatim.

Animi pendeo, an vividiore in luce virtus Dei poni queat, quam cum eam sacri vates educentem ex nihilo hanc rerum universitatem [1], terraeque fundamenta iacientem describunt, aut maris undas littoribus definientem [2]. Divini oculi ictu solum contremit; manus attactu montes fumant; nutui adstant procellae et ingruunt [3]. Quam puriter autem et caste Deum colendum docent, quem nihil latet, qui omnibus adest, cuius oculorum acies omnia vel penitiora

[1] Ps. XXXIII, 9.

כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי
הוּא עִוָּה וַיַּעֲמֹד׃

« Nam ipse dixit, et fuit »
« Jussit, et exstitit. »

[2] Hanc fusiore stilo sententiam Jobus evolvit, Deumque homines increpantem refert XXXVIII, 4-11: « Ubinam eras, quando terrae iaciebam fundamina, quis eam dimensus? etc. »

[3] Ps. CIII, 34 (hebr. CIV, 32.)
« Si respicit terram, contremit.
» Si montes tangit, fumant. »
Ps. CVI, 25 (hebr. CVII 25.)
« Dixit, et ingruit procella. »

permeat ac vestigat [1]! Quid rapidius die hesterno qui dilapsus est, quid nocte evigilata ocius? haec vix memoria tenemus: si mille tamen annos cum Dei aeternitate componas, hoc spatium non exaequant [2]. Quid subito impiorum casu expressius? conspicatus sum impium, ceu proceram patulamque cedrum: evanuit: quaesivi, non erat [3]. Dies deficeret, si venustiora sectarer. Sol sponso compto pedemque e thalamo efferenti confertur: terram ex aethereis sedibus iustitia despectat, haecque et pax obviae fiunt, mutuumque sibi osculum carpunt. Quid demum elegis Jeremiae tristem inversamque Solymorum vicem ingementis flebilius? quid Salomonis cantico mollius? quid triumphali Deborae ode laetius, quid Annae, Zachariae et Simeonis compotum voti concentibus suavius, quid Magnae Dei parentis Mariae hymno sublimius? quibus carminibus suos modos suosque constare numeros nullus dubito [4]. Qui haec penitissimo

[1] Ps. CXXXVIII (hebr. CXXXIX), 6-10.
« Scientia tua mirabilis; impar sum qui eam attingam;
» Si caelum conscendam, ades,
» Si orco mergar, ades;
» Si penna praepete ad orientem solem avolem,
» Aut in occidui maris littore considam,
» Tua me illic manus corripiet. »
Vide Rosenmüller in hunc psalmum.

[2] Ps. LXXXIX (hebr. XC), 4.
« Mille anni coram te ceu dies hesterna.
» Quae effugit; ceu noctis vigilia. »

[3] Ps. XXXVI (hebr. XXXVII), 35.

[4] De metricis hebraei carminis legibus adversantia sibi invicem protulere eruditi: de re enim recondita implexaque loquuntur:

sensu non degustat, hunc ego ferreum, hunc saxeum, hunc stipitem, hunc omnes odisse gratias, et carere cordis motibus dixerim.

Sed satis multa de poeseos origine, qua nihil sanctius, satis de natura, qua nihil pulcrius: nunc finem, quo nihil utilius, attingamus. Omnibus artibus, sed praesertim ingenuo liberaliterque instituto dignis enitendum esse, ut civium commodis consulant, et utilitati prospiciant, tum sapientium praeceptis tum re ipsa monemur. Quae sententia ita apud veteres percrebuerat, ut eam ex artium censu expungerent, ex qua nihil frugis, nihil in bonum commune posset afferri [1]. Sed si cui arti bene de moribus ad virtutem fingendis, deque vitiorum segete evellenda mereri datum est, haec profecto laus poeseos censenda est, quae mollissimos captans animorum aditus, suavique mentes voluptate deliniens, a desidie et vecordia ad recte facta et ad honestatem traducit [2]. Quod enim pressis ieiunisque

alter alterum erroris inscitiaeque insimulat. Quidam enim carmen in membra tantum et sententias dispescunt: alii illud aeque cadere, et in similes sonos exire: alii pedibus, et correptis productisque syllabis conflari; alii versus accentuum varietate discriminant: alii syllabis quinis, senis, septenis, octonis, nonis, denis, undenis, bissenis, prout sua itali carmina, eos metiuntur. Non nostrum est tantas inter eruditos lites componere.

[1] Plato in Alcibiade I « ars nos in melius provehit. » Oper. tom. II pag. 128. edit. H. Steph.

S. Th. 1. 2. q. 57. ad 1. « ars semper ad bonum. »

[2] Acrius in hanc quaestionem intendit animum Paulus Benius eugubinus Comment. in poet. Aristot. pag. 154, 155 edit. venet. an. MDCXXIV, edocetque poesim ad utilitatem, ceu ad metam referri, probeque moratos cives rei publicae comparari a poetis.

praeceptis philosophi, quod rerum gestarum continente narratione historici, quod pleniore sermonis ambitu oratores spectant; hoc imaginum venustate, numerorum suavitate, lectissima dicendi ratione, animorum nunc leniore, nunc concitatiore motu sibi sumit poeta: qui non certis definitisque spatiis sese concludit, sed omnia, quae acrius animos capiunt, quae virtutis speciem prae se nobilius ferunt, quae a vitiis vehementius abstrahunt, veluti iure suo persequitur. Quare Strabo ea mente in poesi, quam principem philosophiam et arcem sapientiae nuncupat, excolendos censet adolescentes, ut rectius vitam instituant, mores ad rectum fingant, primaevumque aetatis florem ad recti leges exigentes, spem de ingeniis excitatam maturius antevertant [1]. Itaque sapienter Plato tantum poesi tribuit, ut statuat, virtutis praesidia a carminibus expromenda: poetam vero cum artis medicae scientissimo, omnesque morborum formas noscente confert, qui gravi diuturnoque morbo tabescentem, salubresque fastidientem succos studeat ad pristinas vires revocare, melleque oblita medicamina praebeat, quae aeger dulcedine captus non abnuit [2]. Et sane cum penitius carminum naturam excussisset Aristoteles, quidque tandem commodi ex illis peteretur, vestigasset, sic statuit; carminum ope mores in melius provehi, vitiorumque labe detergi [3]. Nec iniuria: non enim, ut quidam sibi in animum inducunt, frugis expertia sunt poemata, aut si unam detrahas

[1] Strabo geogr. lib. I, pag. 7, et 15, edit. parisiens. MDCXX.
[2] Plato de legib. II, oper. tom. II, pag. 659, et 660 edit. cit.
[3] Paulus eugub. Comm. Arist. loc. cit.

voluptatem, nihil ex illis extundes: sed nobiliores animorum motus, virtutum lectissima tum praecepta tum exempla, concitatiores ad recte facta hortatus, ex uberrimo carminum fonte dimanant. Vel ipsae fabellae, quas multi laevis tuentur oculis, quasque immerito dicteriis et contemptu onerant, non modo non abigendae ut futiles et inanes, sed sedulo conquirendae, quod obviis rerum imaginibus veritatem obvolvunt, vitam prudenti consilio monent, vitia carpunt, virtutis semina teneris puerorum mentibus concredunt [1]. Enimvero fingite animo, auditores, doctorem pressis aridisque argumentis e media philosophia depromptis adolescentulos ad recte facta hortari, conclusis quaestionibus edocere, quid rectum, quid honestum, quid a morum dignitate alienum, quo virtus, quo ferat error: puer, ut eorum fert ingenium, caput scabere, frontem fricare, ungues arrodere, oculos circumiectare, pandiculari, oscitare, pedibus supplodere. Contra ea si fabellam compta narratione evolvas, aures arrigit, loquentis ab ore pendet, avido haurit corde sermonem, et cavet ne quis aut mussitando, aut colludendo, aut garriendo, aut perstrependo magistrum interturbet. Quam parvi laboris tunc est, ansa arrepta, perbreves igneasque sententias, quibus

[1] Phaedrus prol. lib. II.
« Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
» Quam corrigatur error ut mortalium. »
S. Thomas in cap. IV ep. ad Timoth. lect. II. « Fabulae initio fuerunt inventae, ut inducerent homines ad acquirendum virtutes, et vitandum vitia: simplices enim melius inducuntur repraesentationibus, quam rationibus. »

virtutis forma et colore capiantur, vitiorumque foeditatem reformident, eorum in animos eiaculari?

Age, ne longius vagetur oratio, nonne hymnis pios adversus Deum animi motus efferimus, elegis tristes rerum vices ingemiscimus, epicis heroem virtutum praesidio communitum praedicamus? quae qui legit, ad res praeclare gerendas ceu subditis calcaribus agitur. Tragoedia vero, cum viros dignitate principes in inclinatam humilemque collapsos fortunam persequitur, nonne a vitiis quorum poena serius aut citius est oppetenda, deterret, admonetque non cum vitae huius angustiis nostras cogitationes, verum cum sempiterna beatitate esse coaequandas? Quid de comoedia? omnes urbani sales, omnes festivi lepores, omnes atticae argutiae, quibus fabula conditur, quo tandem contendunt, nisi ut turpes foedique mores omnium irrisione ludantur? Enimvero si senem auri fame, opumque aggerandarum cupiditate correptum studeas ad saniora revocare, non longa verborum ambage, non argumentis e media philosophia depromptis, sed senis avari imagine obiecta, quod expetis, assequeris [1]. Quid plura persequar? Legum latores, quorum monumenta ad nos pervenere, poetas praemiis et honoribus ornarunt, ut civium animos ad virtutem erigerent, legumque praecepta quo altius eorum in animis insculperentur, carminibus commiserunt [2].

Sed stulti sumus, qui in levioribus inscite immoramur, graviora posthabemus. Nihil est, mihi credite, sacra

[1] Id praestitit Plautus in Aullularia.
[2] Athenaeus lib. XIV cap. 6, et 13.

hebraeorum poesi utilius, nihil ad mores instituendos commodius, nihil virtutibus serendis conducibilius. Quamvis enim singula divino exarata stilo volumina vitam regant, exemplis contineant, praeceptis muniant; haec tamen commoda pressius cohibet carmen [1]. Psallere enim doctus, versusque modulari peritus vates non sibi tantum canit, sed et ceteris, eorumque ad virtutem studia provehit. Ad hanc vero metam carmina hebraea referuntur: ut fidem qua caelestia amplectimur firment, spem qua futura praecipimus, alant, amorem quo ad Deum ferimur, foveant [2]. Ad omnem affectuum habitum sese fingunt: gaudentibus arrident, flentibus adsunt, omnem vitae rationem et vices, omnes penitissimos animi motus in illis ceu laevissimo in speculo intuemur. Ad opem Dei confugere, veniam petere, lacrimis admissa eluere, mala quae nostris ingruunt cervicibus, deprecari; habendi curas ex animo eradere, caelestia compendia quaerere, irarum impetus tenere, frena licentiae iniicere, dolores delinire voce psallentis monemur. Tecum haec divina carmina peregrinantur, tecum rusticantur; sive domi quietus agas, sive iter carpas, sive somno declines lumina, sive membra matutinus e strato corripias [3]: haec festis, haec profestis diebus, haec cum aedes sacras adis, haec cum res divina conficitur, haec viribus integer, haec morbo conflictatus, haec cum invidorum morsibus peteris, haec cum omnia tibi e sententia fluunt, haec oriente haec decidente die concine: ab his

[1] S. Ambrosius praefat. in psal.
[2] S. Athanasius ep. ad Marcellinum.
[3] S. Ambrosius loc. cit.

enim medela, ab his in arctis rebus praesidium, ab his constantia et robur, ab his sapientia in omnem morum institutionem promanat. Heic tibi divae religionis arcana panduntur [1]: heic tibi ob oculos obversatur Christus humani generis servator aeterno auctus sacerdotio, regis ducisque munus capessens, diremptam Deum inter et homines societatem componens, promissa quibus longo aetatum flexu alta patrum spes fuerat, cumulans, legem hebraeis scitis sanctiorem figens, vel dissitas regiones vividiore veritate collustrans, gentesque sibi, puriore foedere concepto, adiungens. Christus matre virgine editus, ab eois regibus cultu muneribusque ornatus, fugam nocte intempesta agitans, sacram Solymorum aedem ingrediens, doctrinae e caelis arcessitae thesauros recludens, imperio morbos daemonesque compescens, in iudicium indicta causa raptus, conviciis iactatus, vinculis verberibusque multatus, ad supplicium ceu onustus flagitiis actus, e tumulo, mortis iura resolvens, redivivus, divinumque solium opimo auctus triumpho conscendens [2]. Quotus ergo quisque est, qui haec aut respuere aut nihili pendere ausit? cum divinis tantum tribuat carminibus ecclesia, ut assuetudine a dissitis aetatibus ad nos usque deducta, sacrae aedes hymnis concentibusque perpetuo assonent [3]; cum caelestes aemulata choros Hierusalem terrena noctes atque dies Deum

[1] S. Basilius hom. I in ps. ait, doctrinae sacrae absolutionem in psalmis concludi « ἐνταῦτα ἔνι θεολογία τελεία. »

[2] Acriores critici vel inviti fassi sunt plures psalmos Christum Jesum spectare. Eos recenset Ackermann, introduct. in V. T.

[3] Card. Bona, Psallentis ecclesiae harmonia cap. I, §. IV.

ore Davidis praedicet [1]; cum divinis delinita versibus vel adamantina corda in lacrimas abeant [2].

Hic mihi commoda, quae in hominum coetus ex poetica facultate redundant, commemoranti alte infixus haeret dolor, quem diu corde pressum vobiscum una communico: qua aegritudine eo vehementius angor ac pene conficior, quo tenuior medelae aut levaminis spes affulget. Et multis et haud extremae notae poetis hoc vitium est, ut futilia pravaque consectentur, ingenium ad lascivos modos transferant, admotis illecebris ad vitia propellant, voluptatibus quam laxissimas remittant habenas, libidinum virus suavi oblinitum melle aureis calicibus propinent. Hos ego ceu capitaliores hostes non arguendos modo et corripiendos, sed procul a bene moratis urbibus abigendos duco [3]; qui quod in salutem tributum est, in perniciem vertunt. Poesis enim virtutum adiutrix, curarum

[1] S. Basilius loc. cit. « *Ψαλμὸς τὸ τῶν ἀγγέλων ἔργον, τὸ » οὐράνιον πολίτευμα, τὸ πνευματικὸν θυμίαμα* » « psalmus angelo- » rum munus, caeli communio, mentis hostia. »

[2] Fidem Augustino adhibeamus, qui cum Mediolani ageret, divinaque carmina sacris in coetibus modulata exaudiret, adeo flectebatur, ut a lacrimis temperare nequiret: « Quantum flevi in » hymnis et canticis tuis, suave sonantis ecclesiae tuae vocibus » commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis, et eli- » quabatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat affectus » pietatis, et currebant lacrimae, et bene mihi erat cum eis. » Confes. lib. IX, cap. 6.

[3] Hac poena mulctandos lascivos poetas edixit Plato lib. III de republica, Oper. vol. II, pag. 397, 398. ed. cit. Poetis vero, qui mores ad rectum fingant, vitiorumque lue civitates eximant, et sedem et praecipuum vindicat decus. De Rep. lib. eod.

levatrix, ingenii excitatrix, sapientiae administra, legum custos, religionis comes omni aetate et apud omnes est habita: poetas vero recte instituendae vitae duces [1], et optimorum in omni rei publicae administratione auctores consiliorum duxit Plato [2].

Vos vero, optimi adolescentes, hisce carminibus, quae mentibus teterrimum virus inhalant, quaeque ceu magicis artibus ceu nocentibus herbis homines in feras inque sues setigeros convertunt, aures obstruite: ab hisce epulis, quae regifico luxu paratae vobis apponuntur, letiferumque succum suavitate obducunt, oculos manusque prohibete [3]; neve committatis, ut vestris moribus labes vel minima a turpibus poetarum cantilenis inspersa adhaerescat. Sed de vobis meliora. Atque utinam e vestro numero aliquis ingenio ceteris praecellens exsurgat (neque enim mediocria in poetis patimur), qui poesim ad suum munus finemque reducens virtutis semina in animis legentium effundat, sacraque rei christianae arcana nobili carmine persequatur. Vestra poesis, iuvenes lectissimi, intaminato niteat colore virtutis, sese ad caelestia evehat, suaque ope et ductu animos Deo quam arctissime adiungens, de moribus deque religione cumulate mereatur. Vestris perpetuo oculis eorum imago obversetur, qui non humi repentes nec in voluptatum coeno volutati, sed sese ad sublimia efferentes, caelum adeunt, supernis

[1] Plato in Lyside.

[2] Idem lib. II de Legibus.

[3] Hisce imaginibus a pravis carminibus volutandis adolescentes dehortatur s. Basilius. De gentilium libris legendis, num. 5, edit. maur.

choris intersunt, Deum, Deique parentem Virginem perpetuo carmine concinunt. Liceat itaque eruditissimis hisce viris, qui dicenti mihi insuetum decus addidere, liceat parentibus patriaeque vestrae, in cuius gloriam adolescitis, liceat vestris institutoribus, qui omni ope vos excolunt, liceat mihi, qui studiis vestris hodierna oratione sum obsequutus, hanc spem alere; quae firmior erit, si animo identidem reputetis, nihil poesi, si exordia spectes, divinius, si naturam, pulcrius, si finem, utilius inveniri.

COMMENTARIUS

Suum cuique decus posteritas rependit.

Tacitus Annalium IV, 35.

COMMENTARIUS
DE VITA ET MORIBUS
JACOBI ANGELINI-ROTA
V. N.
JURIS CONSULTI
PRAETORIS PONTIFICII.

Detur mihi haec venia, ut parentis mei Jacobi viri spectatissimi imaginem, veluti lineari pictura, paucis exprimam, eiusque nomini hunc commentariolum ceu inferias, parentalia, et supremum funeris munus mittam. Quod si quis morosus, quae turba plurima, me carpserit, quod parentis nomen meis interseram chartis, et domestica attingam, laevoque lumine hanc inspexerit pagellam; hisce ego rumusculis haud movebor. Ut enim cumque haec aestimata erunt, aut commendata, aut reprehensa, haud in magno ponam discrimine: iuverit tamen et meae indulsisse pietati, et parentis mei apud seros nepotes memoriae consuluisse. Ceterum nemo nisi iniquus iudex mihi succensebit, si secum reputet, quae vita, qui mores, quae mens, quod consilii lumen illi fuerit: quo virtutum comitatu et praesidio animum communierit; quibus rebus caste integreque gestis, veluti quibusdam gradibus ad superas caelitum beatissimorum sedes conscenderit: atque ex eo, ceu in illustri posita monumento, quae ad imitandum intueatur, sibi quisque sumat exempla. Enimvero si maximis minima liceat componere, laudi ducitur tum Gregorio Nazianzeno, Nysseno, et Magno parentum, fratrum, sororumque virtutes commemorasse, tum Augustino Monicae parentis sanctissimae, tum

Bernardo et Ambrosio fratrum suavissimorum Girardi et Satyri funus laudatione et lacrimis fuisse prosequutos. Neque enim virtus, quia domestica, iniquo est obvolvenda silentio, nec recte facta, quia a propinquis edita, in nullo sunt censenda numero [1]. Itaque mihi in ipso sermonis aditu atque exorsu venia opus fuit, quam non petissem, si tempora virtuti, litterarum cultoribus, mihique minus infesta incidissent. Sed haec ingrata hactenus: laetioribus auspiciis ad rem veniamus. Qui haec legis, animum velim a me paullisper avertas: historicum non filium loqui putes.

Jacobus Angelini-Rota editus hanc in lucem est V kalendas martias anni christiani MDCCLXXVII, Vissi umbrorum urbe inter praerupta appennini iuga: ea urbs decem ad septemtriones Nursia, Spoleto viginti passuum millibus abest: quam urbem praeterluit Nar. Jacobo pater fuit Josephus dux loricatorum militum, qui eo nomine Pio VI fidem arctis in rebus immotam praestitit; mater Martia, superstes unica Camilli Rota praetoris militaris et civilis: gens Rota Bergomatum in insubria, Montis Regalis in subalpinis, unde huc sub exordia saeculi XVIII

[1] Haec fuse ornateque persequitur Nazianzenus, cum Gorgoniae sorori funebri concione parentaret. « Sororem laudans » domestica praedicabo; non tamen quia domestica ideo falsa, » sed quia vera, ideo laude digna: vera autem non modo quia » iusta, sed quia nota. Nec quidquam, quia alienum, laudetur si » iniquum, nec quidquid proprium est et domesticum, contem» natur, si honestum et eximium: ne alioquin et illi lucro sit » alienum esse, et huic propinquitas in detrimentum cedat. Utrin» que enim aequitatis ratio laederetur, si et illi laude afficerentur, » et hi silentio premerentur. » S. Gregorius Nazianzenus oratione funebri in laudem sororis suae Gorgoniae. Orat. XI, edit. Billii.

concesserat, patriciae nobilitatis iure fruebatur: quo connubio gens Rota in Angelinios translata inque eos insita, ea lege, ut agnomen quoque domus adsciscerent.

Jacobus eos nactus est parentes, quorum uterque ad optimarum artium studia ad pietatem probosque mores qua exemplis qua praeceptis puerulum informarent. Domi pueritiam exegit, optimisque usus institutis et magistris rudimenta artis primae celeriter arripuit. Eminebat in puero erecta indoles, ingenium acre et experrectum, animus non indiligens, non laboris fugitans, ad honestatem compositus: quae virtutis semina ut maturata pubescerent, laetioremque in messem educerentur, eum vixdum decennem parentes Camerinum miserunt, ut in ephebeo, quod disciplinae custodia et doctorum laude florebat, humaniorum litterarum spatia decurreret. Hic bona spe parentibus praelucere, discendi cupiditate et sollertia coaevis adolescentibus antecellere, palmam omnibus in palaestra litterarum praeripere: hic totum sese in studiis abdere, graeca non fastidire, latinos italosque tum solutae tum adstrictae orationis scriptores noctu interdiuque volvere, stilum ad eorum exemplar edolare. Cuius assidui laboris fructus in reliquum vitae tempus dimanarunt: eam enim venustatem et copiam in scribendo assequutus est, ut ad optimorum laudem accederet. Hac lectissima litterarum supellectile instructus, a parentibus Perusiam missus est, ut sedulam in philosophia et utroque in iure operam poneret: ubi sexennium moratus, amplissimo ingenii testimonio, laureaque iuris donatus Romam contendit; ne legum scientia in quam solertissime incubuerat, usum desideraret. Hac in urbe ad iuris consultos, qui agendis in foro causis egregium

sibi nomen pepererant, se contulit, horumque exemplo et ductu, quos non tam imitari quam aemulari visus est, ad causas dicendas accessit. Heic non, ut mos fert adolescentium, horas cum amicis fallere, intempestiva ducere colloquia, hac illac pervagari, sese in voluptates effundere, scenicis ludis interesse, dies a studiis vacuos exigere: sed ius retractare, quae iuris enodant quaestiones, commentaria deterere, scribendi laborem non defugere, sero cubitum ire, summo mane surgere, legum consultissimos sciscitari, illis adesse, ab eorum latere non discedere, eos sibi obsequiis demereri, eorum sibi benevolentiam sapientia et comitate tueri. Sed quod in adolescente mirere magis, certa sibi precandi spatia definivit, pietatem, ne refrigesceret aut studiorum copia obrueretur, aluit et fovit, religionis obivit officia, animam illabem servavit, arbitrum conscientiae sibi delegit, apud quem statis diebus vel leviores sordes elueret, sacra de altari cum festus dies incideret, libavit.

Hac doctrinae et pietatis laude cum esset iis probatus, apud quos imperii summa erat, aditus sibi ad honores patuit, cum septimum et vicesimum annum attingeret. Primus autem rei publicae capessendae gradus fuit in viterbiensi provincia, cum ad oppidanos regendos est missus: quo in munere ita se gessit, ut et iuris prudentia et morum gravitate et in expediendis negotiis alacritate dignus habitus sit, qui ad ampliores eveheretur dignitates. Nihil enim illum a summa integritate et continentia deduxit; nihil temporis gratia egit; omnium sibi ex aequo iura censuit tutanda, omnium salutem in suo praesidio duxit et fide conquiescere.

At enim ab inito honorum cursu civiles eum procellae revocarunt. Ineunte enim anno MDCCCIX ea temporum conversio consequuta est, ut nullis comprimi frenis, nullis contineri legibus rerum novarum studiosiores quiverint. Pius VII rei christianae propugnator et vindex vi Roma abstractus, exsul, in squallorem custodiae coniectus: patrum cardinalium senatus hac illac effugium quaeritans: fortissimus quisque in invidiam inque odium vocatus. Quare Jacobus sponte magistratu cessit, omni sese rei publicae administratione dimisit: immane enim, ut mihi saepenumero fassus est, nefas et grave piaculum ducebat, in tenuem cum religionis hostibus societatem potestatis venire. Domum itaque se recepit, privatusque vitam traducens, otioque posthabitis dignitatibus, omnes curas et cogitationes ad liberos quos e sanctissima coniuge Paulina Gori suscepit, instituendos, ad agros colendos, remque domesticam amplificandam intendit. Domi difficillimis illis temporibus delitescebat Jacobus, dies solidos rure, quo mirifice capiebatur, quietus exigebat, negotiisque ab omnibus et a civium oculis remotus finem tenebricosae tempestatis praestolabatur. Optata tandem dies illuxit, annoque MDCCCXIV nono kalendas iunias Pius VII e gallia redux diuturnum italiae desiderium explevit, urbemque, rebus publicis compositis, regressus est: et Jacobum nec opinantem primo ad Fescenninorum, mox ad Ferentinatium praeturam evexit. Quibus in urbibus superiorum calamitatum vicibus asperatas civium mentes delinivit, male animatos novumque detrectantes imperium coercuit, ad meliora revocavit, omnibusque et nervis et facultatibus contendit, ut pristinae

calamitatis delerentur vestigia. Enixe autem egit cum Hercule Consalvi patre cardinali, qui rei publicae praeerat, ut societas Jesu Ferentinum contenderet: quo in collegio constituendo non curis, non labori pepercit; cumque multi ab eius consilio desciscerent, novasque in dies difficultates obtenderent, in sententia tamen immotus perstitit, societati heic nec indos nec iàpones deesse asseverans. Vicit tandem eius obfirmata voluntas; votique compos effectus diem illum sibi in vita beatissimum dixit, quo patrum ore et alloquio frui occoepit: quibus Ferentinum accitis in domestica difficultate nec ope nec praesidio nec auctoritate nec facultatibus defuit. Quo aucti beneficio Ferentinates Jacobum qua poterant maxima grati animi significatione ornarunt, eumque cunctis suffragiis amplissimo civitatis iure donarunt.

Cum campana provincià, quae hinc neapolitani regni finibus, illinc tirreni maris littore intercipitur, et ad sabinos usque procurrit, latrociniis dire foedaretur; cumque praedones vi audacia numeroque adeo excrevissent, ut agmine facto oppidanos nocte intempesta aggrederentur, praedaque onusti in montium crepidines inque silvas sese proriperent, omniaque caede et rapinis polluerent, atque ab eorum furore et insidiis gravissima campanis mala imminerent: Frusinonem, quae iuri dicundo sedes constituta est, cum imperio missus est Jacobus, ut tantae labi prospiceret, armis provinciam tutaret, sontes capite plecteret, e periculis cives educeret. Vicaria itaque potestate usus, oppida praesidiis communivit, celeritate consilii quae ad civium incolumitatem opus erant, expedivit, lege in reos egit, militum excursionibus et excubiis viarum aditus opplevit.

Mitissimo ut erat ingenio cum poena capitis in praedones animadverteret, nec lacrimis nec gemitui parcebat, doloremque quo premebatur, ore oculis fronte silentio prae se ferebat. E proximo ferentinati collegio patres societatis excibat, ut miseris adessent, darent aures confitentibus, eosque caelesti enutritos epulo ad supplicium ductarent. Hac animi constantia, et consilii celeritate effectum, ut paucorum poena saluti communi prospectum foret, securitas publica reviresceret, omnia quieta ac in tuto forent, animique gravi qua sollicitabantur, trepidatione et metu expediti reficerentur.

Ne plura singillatim persequar, sermonem contraham: quam caste integreque reliquos magistratus, quos diu gessit, obierit, quae publicae ac privatae in eo virtutes eluxerint, brevi expediam. Cum iudicum collegio in provincia frusinati praeesset, gravibus in patronum verbis invectus est, eique occoeptam abrupit orationem, quod in agenda causa famam religiosi coetus, cui litem intenderat, laevo sermone obtrivisset, putidioremque maculam eorum nomini aspersisset; illumque aliquot dies foro carere iussit. Antequam sententiam ferret, conclavi diu conclusus, quae patroni utramque in partem commentariis prolatis disceptarent, quae rationum momenta proferrent, excutiebat sollerter: leges legumque interpretes nunquam intermissa contentione evolvebat: aequa lance pugnantia inter se iura pensitabat: nullaque illum spes aut metus ab inito aequitatis tramite deturbavit. Gum eadem iudiciorum civilium praefectura ad lites cognoscendas dirimendasque, quo in magistratu diu mansit, apud frusinates fungeretur, enixe contendit, ut societas a viro rei christianae studiosissimo Gaspare

Del Bufalo recens condita Frusinone constitueretur, ut civium animos ad pietatem excoleret: eius consilium quam e religione foret, re compertum est. In triennali apud Urbevetanos praetura cum trecenas lites, sententia lata, diremisset, nemo unus non acquievit: cum ab eius iudicio ad sublimius tribunal quidam provocasset, hoc ratam praetoris sententiam edixit haberi: quod non vulgari aequitatis et doctrinae documento est. Cum Interamna Nartium decederet praetor, is illi ab optimatibus honos est attributus, ut patriciae nobilitatis iure ipse domusque eius perpetuo frueretur. Viterbii cum in summum provinciae consilium adscitus esset triumvir, adeo eximium animi ingenii consiliique lumen ostendit, ut cum ex eo magistratu sponte abiret, eum civitas inter primores municipes, mira ordinis assensione, cooptaret.

Summa in eo humanitas, mira comitas, liberae ad eum privatorum querelae: nemo tam humilis cui non ad illum aditus statis horis pateret: facilitate par infimis videbatur. Ruricolam moribus probatissimis cum ad se praetorem milites adduxissent, quod cum subalari telo, quo ad obsonium secandum utebatur, aliquantisper oblongiori et praeacuto deprehendissent: praetor manu sua gladiolo mucronem eximit, villico reddit, eumque dimittit immunem. Cum frater fratrem in adeunda haereditate mire divexaret, nullusque mutuis inter eos querelis iurgiisque modus posset imponi: utrumque praetor accivit, patientissimas mutuis eorum conviciis aures adhibuit, quid cuique iure tribuendum edixit, litem composuit, animos ad concordiam revocavit. Multa quoque iurgandi semina extinxit, dissidiorum causas abscidit, mentesque deterruit a litibus

intendendis, quae si longius progressae fuissent, non mediocrem rei domesticae, eorumque fortunis labem intulissent. Plurimum enim omnes Jacobo tribuebant; plurimum apud omnes ordines sapientia et auctoritate pollebat.

Non passus est miserorum iura impune proculcari, pauperesque imoque loco natos a potentioribus premi: nec in invidiam vocari, odiumque subire veritus est, ne sibi et aequitati deesset: parum autem abfuit, quin improborum fraudibus et astu de dignitate deiiceretur. Nihil enim sibi non licere putant primores quidam opibus circumfluentes, secundisque rebus tumidi nesciunt modum servare: et magistratus aut libidinum ministros et ad iniuriam adiutores volunt, aut eos, si obstiterint, odio calumniisque ad exitium usque insectantur. Jacobi vero constantiam animique magnitudinem nec metus fregit, nec impendens periculum de suo cursu dimovit: illatasque iniurias modice et constanter tulit, omnemque tum maleficii memoriam tum ulciscendi studium ex animo abstersit.

Optimarum in re publica partium et aestimabatur et fuit: perduelles ceu hostes patriae coercendos, ne civitates ad perniciem traherent, duxit. Negligens voluptatum lusorias chartas ne ex facie quidem novit: scenicis ludis interesse, theatris assidere, convivia celebrare, diem falsa inter gaudia condere temporis iacturam censuit, nec viro sapiente dignum. In verbis cautus et parcus: mendacium nec dixit, nec pati poterat: nihil illi ex ore insolens excidit, nihil non castigatum: omnium vel perditissimorum famae pepercit. Omnes ope et consilio iuvit: egenis pannosisque, quos Christi Servatoris imaginem expressius referre affirmabat, vestibus obsonio stipe praesto fuit: senem

honesto loco natum, inque inclinatam delapsum fortunam diu submisso argento aluit.

Religionis retinentissimus: honores pecuniam facultates gratiam bonis aeternis inferiora duxit: rei divinae quotidie adesse, caelesti epulo festis diebus refici, aures sacris concionibus dare, pia volumina atterere, ante Christum Dominum in aris delitescentem horas solidas in dies singulos immorari in more habuit: magnam Dei parentem coluit studiosissime, seque et suos in eius fidem et tutelam recepit. Lucro subsecivas horas apponens e summorum ecclesiae parentum et vindicum codicibus sententias, quae pietatem alerent, excerpsit, in nostratem convertit sermonem, inque commentarium digessit: quo ex fonte ea hausit praecepta, quae in omnem vitae suae rationem uberrime dimanarunt. Frequens illi in ore erat sententia « diligite iustitiam, qui iudicatis terram. » Insignes pietate et caelesti sapientia viros singulari prosequebatur studio; eorum sibi animos adiungebat obsequiis, eorum ore et alloquio mirifice capiebatur, illisque apud Deum deprecatoribus utebatur. Hos inter princeps vindicandus est locus Gaspari Del Bufalo, cuius manui in genua procumbens libabat oscula, eumque sacris detritum excursionibus, laboribusque absumptum bene longos explesse annos brevi vitae decursu asseverabat. Franciscum vero Gaesi viterbiensem e collegio canonicorum aedis maximae, patrem Mautone, quem adolescentulum s. Alphonsus Maria De Ligorio suum in coetum cooptarat, Innocentium Betti Gasparis Del Bufalo sodalem, sibi conscientiae arbitros et moderatores selegit, nihilque iis inconsultis moliri, nihil aggredi ausus fuit, eorumque consuetudine et sapientia fieri sapientior studuit.

Cum coniuge Paulina Gori antiquae virtutis et spectatae pietatis femina concordissime vixit, ex eaque septem suscepit liberos. Nos a quibus impensissime colebatur, eximie dilexit: nosque inter et illum perpetua benevolentia certatum est: sapientiae, virtutis, morumque recte instituendorum praecepta nostris instillare auribus numquam destitit: nobis et pueris et adolescentibus, ut optima institueremur disciplina, consuluit: ad doctrinae contrahenda praesidia, ad pietatem, ad mutuam fratres inter sororesque fovendam benevolentiam, ad voluptates spernendas nos saepenumero ceu subiectis calcaribus incitabat. Domestica autem exempla, in quibus mira vis inest ad acuendos animos, frequens recensebat, eaque nobis ad intuendum imitandumque exhibebat, ut maiorum nostrorum laudes nostra cumularemus virtute. Haec autem non invitus attingam, tum ut fratris mei filios ad doctrinae virtutisque comparanda subsidia adurgeam, tum ne virorum, qui recte de religione deque re publica meriti sunt, nomina obruat oblivio aut extinguat vetustas.

Nobis enim puerulis ob oculos constituebat Antonium Angelini patruum suum, iuris consultum, qui Ligurum reipublicae accitu, Januensium senatui a summis consiliis fuit, iuri reddendo praefuit, eaque auctoritate et doctrina praestitit, ut nulla gravior quaestio incideret, quae in senatu non ex Antonii sententia exsolveretur; qui senex domum reversus fluxam hanc aerumnosamque vitam cum immortalitate pius commutavit V idus septembres anni MDCCXCV annos natus LXXVII. Memoria repetebat avunculum suum Laurentium Oderisi pontificem Tempensem, qui vicaria potestate sabinos rexit antistes,

diemque suum obivit in urbe Manliana III nonas sextiles anni MDCCL, cum ageret annum LXXVI. Nec praeteribat Franciscum Rota avi sui fratrem, qui summus cognitionum iudex opus de iure civili edidit; nec Franciscum Mariam Canali amitinum suum a Pio VIII cooptatum in patrum cardinalium senatum: in quibus singulis doctrina an virtus magis enituerit, iure ambigis. Sed haec hactenus: ad Jacobum regrediamur.

Memoria Jacobus fuit firma: quae a puero menti indiderat, senex meminerat, mihique cum secum autumnalibus feriis rusticarer, unaque sub vesperam obambularem, electiores e Virgilio, Catullo, et Cicerone locos memoriter pronunciabat, quidque in illis animum vividius cieret, quae gratior imago eniteret, disserebat solerter. Mihi ut latinis itala adiungerem auctor fuit: inhonestum enim aiebat, cum aliena calleas, tua ignorare.

Non indiligens paterfamilias rem domesticam et curavit et auxit: operam in praediis excolendis posuit. Honestissimis coniugiis Mariannam, Liviam, Hagnetem filias locavit: Theresiae natu minimae, quae in sacrarum virginum collegium recipi expetierat, ex animo, ut voti compos fieret, indulsit: Antonium et Nicolaum societati Jesu, cui nomen dare avebant, libens addixit: nec quidquam sibi optatius accidere fassus est, quam liberos Deo, cui eos referebat acceptos, in famulatum addicere. Camillum equitem ad praeturam sabinorum designatum vidit.

Viterbii, quo aetate ingravescens omnisque rei publicae cura solutus pridem sese receperat, quaque in urbe rerum ac fortunarum suarum sedem constituerat, in morbum incidit: quo cum conflictaretur gravius, accitis Roma

Antonio et Nicolao, e sabinis Camillo, sacrisque rei christianae mysteriis bis refectus animam pientissimam inter natorum manus efflavit pridie idus iunias anni MDCCCXLIV sub solis occasum. Testamento certam pecuniae vim curiae s. Jacobi legavit ea lege, ut statis diebus in singulos menses Deo aeterno pro se suaque domo re divina perpetuo litaretur. Elatus est funere honestissimo, conditusque ad s. Theresiae in cella Magnae Dei Parentis Lauretanae, ut moriens mandarat: theresiani enim sodalitii iuribus fruebatur. Civitas universa tantae virtutis exemplar ex oculis sublatum indoluit.

Ore fuit ingenuo ac liberali, fronte lata et exporrecta, nigris nitentibusque oculis, quos praestantis animi indices dixisses, superciliis nec densis nec raris, genis roseis cetera lacteus, naso perquam decentissimo, molli et sub extremam aetatem albescente capillo, statura non humili: virtutis forma et pietatis color ex oculis fronte corporisque totius habitu eminebat: nescio quid a prisca dignitate habere videbatur. Integra nullisque tentata morbis usus est valetudine: hunc vitae caste et sobrie institutae tulit fructum.

Si eorum, qui hinc demigrarunt, mentem tangunt mortalia, si benevolentiae et pietatis munere supremo, quo carorum capitum memoriam ad posteritatem propagamus, capiuntur; oculos, Jacobe parens optatissime atque optime, e superis sedibus, quo tua te virtus evexit, in tuum natum deflecte, mihique vires animumque suffice, ne me frangant adversa, neve a praeceptis institutisque tuis deflectens ullam nomini tuo labem meis inspergam moribus. Te adstantem cernere, tua ora tueri, notas

audire voces, tuosque toto animo haurire mihi videor hortatus, quibus me ad virtutem et ad recte facta erigebas; in te saepenumero obtutum mentisque aciem intendo. Te mihi, dum hanc haurio lucem, dum aerumnosae vitae durum iter carpo, nulla unquam ex oculis, nulla ex animo abradet oblivio.

EPISTOLAE

HIERONYMO DE ANDREA

PATRI CARDINALI

PRAEFECTO SACRI CONSILII LIBRIS NOTANDIS.

Cum nihil a sapientissimo naturae auctore homini tributum sit praestabilius, nihil florentius, uberius nihil, quam scientiae cupiditas verique assequendi nisus; dolendum summopere est, quod difficillima hac nostra tempestate, divino hoc munere ac dono in Deum ipsum impii homines abutantur. Error enim, ceu luxurians ac venenata seges in dies succrescit, disceptandi vias interturbat, iuris fontes inficit, in omnes vitae rationes manat et funditur, humanaeque societatis quatit fundamenta. Christiani igitur philosophi interest, arma haec ad tegendum nocendumque aptissima e scelestorum manibus extorquere, iisdemque instructum in arenam descendere, collatoque pede cum hoste congredi, et religionem, quam stricto gladio petunt, contra perduelles, qui vana capti aura sibi philosophi nomen usurpant, vel capitis dimicatione vindicare.

Arctissima enim necessitudine cum religione continetur veri et falsi disceptatrix et iudex philosophia, mores ad rectum fingit, viam ad virtutis culmen sternit, rectaque ad Deum ducit. Philosophus siquidem mundi totius civis in hac rerum munificentia constitutus omnia perspicit ac tentat, principia causasque concipit, omnes vitae partes persequitur; quae civibus, quae Deo referenda

officia, unde genera virtutum efflorescant, quibus praeceptis humanum genus contineatur, quae iura coetibus in urbes et oppida sociàtis describenda, quid in quaque re expetendum, quid deligendum, quid respuendum, disquirit. Quid multa? ingenii aciem acuens caelum adit, terras rimatur, parentemque naturam tentans extundensque vestigat: cumque omnia perlustrans, nihil in hac rerum universitate, quod suas expleat cupiditates, nihil quod opis sit ad bene beateque vivendum, persenserit; ad eam regionem, ubi beati aevo sempiterno fruuntur, se votis et cogitatione convertit. Summis ergo laudibus praedicandum ecclesiae matris consilium, si filiorum utilitati prospiciens, philosophiae societatem non abnuat, eius studia alat et foveat; eamque amico foedere cum theologicis disciplinis coire nullo non tempore existimarit.

Quum itaque mihi hodierna die non sine animi trepidatione ex umbratili palaestra in pulverem in solem inque hominum oculos prodeundum sit, deque philosophicis disciplinis ineundum discrimen; quo potissimum auctore, quo auspice munus tantum obirem, diu ambigendum non fuit. Tu enim, vir clarissime, mihi occurrebas dignus profecto, cui disceptationem meam ceu munusculum levidense inscriberem, et a quo praesidium et decus ad philosophiae dignitatem tuendam mutuarer. Tuum siquidem nomen universa late insonuit Germania, quum florenti aetate, sed sapientiae artibus canus, ad Helvetios legatus animi ingenii consiliique tui lumen ostendisti: tuisque curis, tuis officiis, studiisque stetit, si religio a perditissimis civibus, qui capitali odio in rem

christianam ferebantur, in praesens discrimen vocata nullum fuit, quamdiu in illis regionibus es commoratus, detrimentum perpessa. Multa vero a te et acta constanter, et provisa prudenter, et sapientissime responsa feruntur. Litteris omnium et sermone etiamnum usurpatur animi tui virtus, roburque pectoris singulare quo humanos casus dignitate tua inferiores putans, ab officio abduci nullo incommodo potuisti, catholicos in fide recepisti, nutantes firmasti, male animatos verborum stimulis increpuisti, tuis consiliis periculis atque laboribus omnes sospitasti: quidquid vigilanti et industrio praestandum, praestitisti: omnibus sapientiae praesidiis cives communisti; vitam supremis rebus obiectare, eamque pro religione pacisci munus laudemque duxisti. De fortunis, de capite, de re christiana dimicabatur. Animo iamdiu praeceperas, quanta in iis regionibus futura perturbatio, quanta commotio, quantum a nefario improborum foedere pertimescendum, quanta ordinis inversio impenderet; quibus artibus e sua sede atque statu ecclesiam dimovere molirentur, in apertum protulisti: os et vocem iis compressisti, qui in religiosum ordinem crimen turbarum conferebant, eumque iniuria causabantur. Quae verbis momenta, quae pondera consiliis inessent tuis, eventus docuit. Quid pluribus? Nulla in te mortis incessit formido, cum missilibus glandibus domus tuae parietes crepitabant; parem cum ceteris, qui arcte rei christianae haerebant, conditionem fortunae subire paratus, te ipsum tempestatibus, ac pene fulminibus obvium tulisti, tuoque periculo religionis iura sanctaeque Petri sedis decus in helvetica legatione tutasti.

Romam omnium ordinum gratulatione reversus, latius animum ad ecclesiae utilitates porrigens atque explicans, sacro consilio tridentinis decretis interpretandis praeposito operam gnavam sollertemque impendisti; quo in munere Prosperi Lambertini, quem Benedictum XIV colit suspicitque posteritas, vestigiis institisti. Cum vero superioribus annis in tenebricosa tempora, inque medium certamen atque discrimen pervenimus, turbulentissimorum hominum ausus in rem christianam et publicam retudisti, et apud umbros, sabinos, etruscos qui romano pontifici subsunt, legatus reliquias incendii civilis celeritate et vi restinxisti: collatisque catholicorum armis et consiliis provincias, quae tibi obtigerant, ad officium revocasti.

Tibi itaque, vir spectatissime, iure optimo gratulandum, nobisque eo nomine gaudendum; quod ingenii, animique vires ad veritatis, rei publicae, et religionis praesidium contuleris, romanamque ecclesiam adiuveris, ornaris, auxeris: quodque bene plures longo aetatis flexu vix praestant, id paucorum annorum conversione confeceris. Qua in re imaginem nobis refers summi illius viri, dignitate principe inter suos, cuius laudem excipient insequentes aetates. Parens enim tuus Joannes, qui Ferdinando II Neapolis et Siciliae regi a sumptibus, a vectigalibus, ab ecclesiasticis negotiis adfuit, religionis reique publicae commoda suis semper antetulit, egregie de moribus de pietate de religionis dignitate promeritus: id vero per te praestitisti, ut ad parentis nomen nominis virtutisque tuae cumulatissima fieret accessio. Aequissimus proinde virtutis iudex et adsertor D. N. Pius IX ad amplissimae dignitatis

fastigium te, vix octavo aetatis lustro emenso, evexit, patremque cardinalem dixit: te sibi sublacensem abbatem suffecit, teque libris, qui in dies adversus religionem excuduntur, notandis damnandisque praefecit.

Tuo igitur nomini, pater cardinalis amplissime, hoc de philosophicis disciplinis periculum inscriptum volui: ut pateret, quo studio ego, et contubernales omnes, qui mecum intra eosdem parietes ad religionis christianae tutamen et vindicias instituuntur, quo animo huius romani collegii, in quo ad tantum decus prolusisti, tum doctores tum auditores te prosequantur [1].

[1] **Universae philosophiae disceptationem III kalendas septembres anni MDCCCLIII Romae in sacra aede s. Ignatii iniit Ferdinandus Stentrup collegii germanici ungarici alumnus.**

ALOISIO RANGONIO MARCHIONI

MUTINAM

Ne mea in te studia longo desiderio oblanguerent, neve consuetudo quae inter nos intercedit, silentii diuturnitate frigesceret, id ad te litterarum dare perbreve quidem et incomptum decrevi. Quid agam, quo loco res meae sint, accipe. Inter veteres religionis adsertores et parentes, posthabitis amoenioribus litteris, versor; in mente eorum rimanda, sacrisque vetustatis monumentis scrutandis immoror, et totus in illis. Difficilissimis hisce temporibus in quae incidimus, per te perspicis, qua et sollertia et cura adlaborandum sit, iis praecipue, qui sacrae nomen militiae dederunt, ut causam Dei, quae nobis est cum bonis omnibus communis, quaeque in discrimen vocatur, virtute summa tueamur, inque ecclesiae hostes ensem expediamus.

At, inquies, vereor, ne tibi Horatius noster succenseat. Ne quaeso, ne me adeo vecordem, adeo parvi animi ducas, cui tam cari capitis repat oblivio. Cum illo saepenumero in gratiam redeo, et si quid otii subsecivi a severioribus disciplinis vacat, ad illum non iniquo animo confero. Quod vero scribis, me posse ad eius mentem evolvendam quid novi afferre, perhumaniter facis et amice, ut assoles; at me eiusdem praeceptum impedit, quo me admonet, ut animo reputem, quid valeant humeri quid ferre recusent.

Tum litteris tum sermone quamplurium ad me perfertur, te oculis, ut ante, laborare. Quam graviter id feram, te non praeterit; nec te fugit, levius patientia fieri, quidquid nefas est corrigere. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.

Romae idib. ianuar. MDCCCXXXVI.

ANGELO ANTONIO SCOTTI

NEAPOLIM

Ne hospite insalutato arguar discessisse, neve officium meum requiras, has ad te litteras altera noctis vigilia properatas dare decrevi, quibus noscas, quantum mihi in animo insederit illa humanitas, qua me apud te divertentem amplexus, non advenam, sed contubernalem et fratrem habuisti. Tantis profecto me benevolentiae officiis cumulasti, ut me verba in gratiis et habendis et referendis deficiant. Cum tuum meumque Franciscum Manera, qui in penitiorem gratiae naturam sublimiter disserendo est ingressus, coram videro, quid animo verses, quidve in tuis convallibus, quas Sebethus pauper aquarum, et famae dives alluit, agatur referam. Nec ingrato premam silentio tua illa omnium sermone praedicata scrinia, quibus haud scio an electiora queant inveniri: hinc noster De-Rossi aequissimus iudex graecum tuum Isocratis codicem longe vaticano et barberiniano antetulit.

Tui videndi spes mihi nulla aut pertenuis relinquitur: vereor enim, ne te tot negotia impediant, quominus latinas

hasce plagas, et urbem revisas. Suavissimis Paladino, Alaggia, et Giordano salutem plurimam dicere ne graveris. Vale optime adolescentium institutor et rector, tuaque domus universa valeat.

Romae idib. octobr. MDCCCXXXVII.

ANGELO ANTONIO SCOTTI

NEAPOLIM

Quod tibi decedens pollicitus fueram, data opportunitate persolvo, nec vereor, ne tibi ingrata haec sedulitas videatur. Equidem diu animo agitabam, aliquam benevoli memorisque animi significationem prae me ferre, sed superiora tempora in asianae luis trepidatione iacuerunt, quae nec dandis nec exarandis litteris tempestiva videbantur. Nunc vero omni metu seposito, turpiter mihi facere viderer, nisi omnem studiorum curam illi voluptati posthaberem, quam tecum veluti colloquens percipio. Valetudinem tuam firmam nulloque tentatam morbo lubens accepi; hanc vero et manentem et in dies firmiorem opto, ut rei christianae, de qua optime et voce et scriptis mereris, incrementis consultum satis et provisum sit.

Mihi quidem, ut liberius eloquar, suborta spes erat tuum os tuendi, at haec exaruit: nec fingere animo, aut mente revolvere potuissem, me qui, te auspice te auctore te duce, ad vindicias religionis accessi, consuetudinis tuae fructu tamdiu cariturum, qua, dum una esse

licuit, avide fruebar, quasi divinarem, te absente, unde discerem, fore neminem. Utinam aliquando aut tu ad nos, aut nos ad te revertamur! Vale.

Romae VII kal. novemb. MDCCCXXXVII.

ANGELO ANTONIO SCOTTI

NEAPOLIM

Quam ingenuo et liberali esses animo, facile ex iis litteris perspexi, quas ad me superiore mense dedisti. Quod meam in scribendo desidiem molli brachio, nec sine atticis salibus corripis, facis benevole, et gratiam habeo, sed eodem te crimine damnarem, nisi ius persequi lacessitus viderer. At de litteris hactenus.

Ad filium fratris venio, quem diuturno gravique morbo confectum iacere scribis, cui nihil medentium studia, nihil caeli clementia, nihil ruris et Pausilypi deliciae profuerunt. Assequi coniectando potes, quam alte animo meo haereat haec cura, quae me dies noctesque angit, nec sinit hilum quiescere. Quid consilii capiam, non suppetit. Deum, Deique Parentem votis precibusque fatigo, ut puerum sospitent; si quid vero gravius evenerit, ita sum mente comparatus, ut nihil illi mali futurum ducam, qui tot virtutum comitatu viam sibi, vernante aetate, ad superas sedes munitavit.

Quid rerum noster De-Perez? Quid tute rerum suavissime geris? Ευτραπελίαν tuam serva, tuosque in

excolendis ad pietatem et severiores doctrinas animis adolescentium labores Deus fortunet. Quinam in vulgus serantur rumores, silens praetereo, ne oleum et operam in iis enarrandis absumam. Vale anima candidissima, et sic habeto, te mihi et praesentem et absentem aeque iucundissimum. Vale.

Romae prid. idus decembres MDCCCXXXVII.

ELLOGIA

I.

JOANNES DE ANDREA

Neapoli III kalendas maias anno a reparata salute MDCCLXXVI natus est Joannes De Andrea. Genus duxit e Troiae in Apulia comitibus, et Aremanensium dynastis in Samnio, qui rebus praeclare gestis domi militiaeque claruere. Joannis pater Franciscus Xaverius summis functus magistratibus Neapoli et Panormi, non vulgare sibi sapientiae et virtutis nomen condidit.

Joannes optimis usus institutis et magistris spatia disciplinarum celeriter emensus animum ad iuris scientiam appulit, eamque in legibus cognoscendis est laudem adeptus, ut anteferretur ei nemo, pauci pares censerentur.

Cum tristissima temporum conversio sub saeculi huius exordia incidisset, cumque de nuncio uxoribus remittendo lata lex esset, maluit Joannes exui dignitate, senatu carere, privatus vitam exigere, quam religionis iura resolvere, nefarioque sese sacramento devincire. Rure delitescens lectissimis animum imbuit disciplinis, otium omne ad graeca et latina transtulit, Taciti historias nostratem in sermonem convertit. Sic tantus vir aequam rebus in asperis mentem servans, vicibusque fortunae maior iter sibi, composita pace, ad amplissimos honorum gradus communivit.

Itaque cum Joannes ingenii, virtutis, morum sanctitatis, perspectaeque in adversis fidei laude floreret, hac admoniti fama reges eum in sanctius regni consilium adscivere, honestissimoque auctum magistratu rei publicae praefecere: spem vero, quam in eorum animis excitarat, vicit Joannes.

A Ferdinando I summus regni tabellariis magister praepositus Joannes novis legibus cursus temperavit, pericula quae epistolis, commeatibus, fideique publicae impendebant, amovit: iter tutius expeditiusque, eodem auctore, est initum.

Joannem Ferdinandus II aerario, regni sumptibus, negotiisque ecclesiasticis praefecit: quae munera ita caste continenterque obivit, ut regni census praeteritis bellorum, motuumque civilium calamitatibus detritos auxerit, populos vectigalibus levarit, religionis dignitatem amplificarit, sacerdotii imperiique concordiae studuerit.

Pontem quo tutius Liris transiiciatur, ferreis ad latera subtentis catenis suspensum erexit, vota commeantium explevit an. MDCCCXXXII.

Emissarium Fucini, quo in Lirim lacus deducitur, glarea limoque obstructum reclusit, incilia et cunicula, quae ad multa passuum millia decurrunt, detersit, egestis arenis tot aetatum flexu concretis: appulisque caeli sanitatem, messibus pascuisque laetissimis centena iugerum millia restituit an. MDCCCXXXIII.

Optimorum auctor consiliorum, quidquid e re publica foret, in id animum acriter intendit, pari contentione provexit, nec minore constantia consummavit.

Sapientiam, quam ex evangelii fontibus hauserat, in omnes vitae suae rationes deduxit: nulla spes aut metus a summa illum aequitate deflexit.

Episcopis sacrisque coetibus et familiis nulla re defuit; eorum obsequi studiis, dignitatem tueri, utilitati consulere, muneris sui duxit.

Romanos Pontifices christiani nominis magistros, religionisque parentes adsertores et vindices singulari pietate coluit, eorumque iuribus ne quid detractum foret, enixe adlaboravit. Hinc Pius VII et Gregorius XVI eximia Joannem benevolentia amplexati, honoribus laudibusque certatim cumularunt.

Effusa in pauperes beneficentia. Puellis, quas asiana lues parentibus orbarat, instituendis prospexit: tenuioris plebeculae querimoniis aures adhibuit, miseris perfugium praebuit, inopes submissa stipe iuvit large, nudos vel sibi detracto pallio contexit.

Ea vero abstinentia regni opes administravit Joannes, ut cum plerique omnes ex ea administratione abeant locupletes, ipse ne semisse quidem rem suam auxerit: quam laudem nemo unus vel invidia tabescens ausus est Joanni praeripere.

Cum Lucretia Rivera lectissima femina, Laelii e Marsorum dynastis filia vixit concordissime: quos ex ea suscepit liberos ad omnem virtutem institui, maiorumque exempla referre iussit.

Hic vir bono publico natus cum multa religioni patriaeque conducibilia moliretur, morte subita extinctus

est pridie kalendas apriles anno MDCCCXLI, cum annum ageret quintum et sexagesimum.

Tantae virtutis desiderio indoluit Ferdinandus rex, indoluere omnes ordines.

II.

EMMANUEL DELL'UOMO.

Aletrii in Hernicis nullo aetatum flexu senescet memoria Emmanuelis Dell' Uomo sacerdotis e collegio canonicorum templi maximi.

Humaniores sacrasque litteras virtutum laude ornavit: diu alumnos seminarii artem rhetoricam docuit, eamque sibi in docendi salebroso munere famam peperit, ut ad insignium doctorum nomen perveniret.

Cum fide immotus in Pium VII perstaret, nefarioque sese iureiurando obstringere abnueret, exilio multatus, inque Cyrnaeam insulam devectus aerumnis, rerum omnium egentia, capitisque periculis exercitam vitam quinquennio exegit.

Ea fuit animi demissione, rerumque fluxarum contemptu, ut cum, tranquillatis rebus, aditus illi Romae ad amplissimas dignitates pateret, domi maluerit delitescere iuvenesque exemplis et praeceptis in litteris et sanctimonia excolere, quam in amplissimae civitatis luce versari.

Abiit ad caelestes VI idus septembres anno post Christum natum MDCCCXXVII, aetatis LXXVII.

III.

AUGUSTINUS CAPORILLI-RAZZA.

Nobili loco natus est Aletrii Augustinus Caporilli-Razza rhetor, inque collegium patrum canonicorum adscitus.

Quantum in latini carminis facultate praestaret, argumento est poematum volumen in vulgus editum.

Civium sibi animos morum innocentia, vitaeque sanctitate demeruit: iniurias, convicia, probra modice et sapienter tulit, obtrectatoribus gratiam habuit, beneficia rependit.

Apoplexi correptus diem supremum obivit IV nonas ianuarias anno christiano MDCCCXLIX aet. LII.

IV.

ATHANASIUS DE HARO

E SOC. JESU.

Redditum sibi s. Aloisium Gonzagam in Athanasio De Haro duxit collegium romanum. Par in utroque rerum humanarum contemptus, animi candor assimilis, precandi studium haud dispar, vitae decursus perbrevis.

Hic Mexici in America ditissimo genere ortus Romam puer missus, nostris in disciplinam creditus in ephebeo nobilium ea virtutum laude floruit, ut omnium in se oculos animosque converterit. Inita societate, primoque philosophiae stadio emenso, febri assidua tentari cepit, qua tandem peresus caelitum beatorum numero additus est pridie nonas decembres anni MDCCCXXXVIII, cum annum ageret tertium et vicesimum.

V.

PEREGRINUS SPALLANZANI

E SOC. JESU.

III kalendas septembres anni MDCCCXXXVIII Neapoli, quo e romano tirocinio valetudinis causa concesserat, abiit ad caelestes Peregrinus Spallanzani. Mihi cum illum ad humaniores litteras informarem, angeli instar erat. Ea enim innocentia, is pudor in adolescentulo emicabant, ut nihil supra: ad quas virtutes ingenium acre et experrectum discendique eximius ardor accedebant.

Ortus erat Regii Lepidi in Aemilia anno MDCCCXVII, abnepos Lazari Spallanzani rerum physicarum longe doctissimi.

VI.

PAULUS LINARI

E SOC. JESU.

Societati Jesu ostensus tantum est Paulus Linari. Alter enim vixdum annus inceperat, quo se sub crucis vexillum receperat, cum spem laetissimam, quam ingenio, prudentia, morum suavitate excitarat, mors acerba praecidit, Romae IV idus septembres anni MDCCCXXXIII aetatis XVIII.

Nobili genere ortus erat Regii Lepidi, inque nostro regiensi ephebeo institutus humaniorum litterarum et philosophiae spatia non sine praestantis ingenii commendatione decurrerat.

VII.

FRANCISCUS MANERA

E SOC. JESU.

Romae VI kalendas octobres an. MDCCCXLVII desideratus est Franciscus Manera. Insigni prudentiae et humanitatis laude collegio huic romano moderabatur: nihilque non egit, quo studia proveheret, animosque tum doctoribus tum auditoribus in bonis artibus excolendis adderet. Tanti viri in eloquendo ubertatem et copiam, in disserendo acumen demirati sunt taurinenses, cum in regio athenaeo Alligherii poemata enarravit, romani cum in hoc collegio penitiora theologiae dogmata evolventem exaudivere.

Natus erat Neapoli XIII kalendas septembres anni MDCCXCVII, a P. Joanne Andres nostrae societatis viro ad graecas latinasque litteras informatus.

VIII.

CAROLUS ODESCALCHI

E SOC. JESU.

Cum et antiquitate generis, et gloria maiorum, et principum gratia, et amplissimis dignitatibus, et quod summum est, virtutum laude unus omnium Romae maxime floreret Carolus Odescalchi; nuntium tamen humanis rebus remisit, quo Deo caelitus vocanti obsecundaret. Itaque ex augusto patrum cardinalium senatu, e vicaria Gregorii XVI romani pontificis potestate, e pontificatu sabino, e summo ordinis hierosolymarii magisterio lubens cessit, inque societatem Iesu immigravit, quo demissior eo clarior.

Mutinae vitam sanctissime actam cum immortalitate commutavit annum agens quintum supra quinquagesimum XVI kalendas septembres anno MDCCCXLI eo temporis articulo, quem nitide edixerat.

IX.

FRANCISCUS DE VICO

E SOC. JESU.

Idibus novembribus anni christiani MDCCCXLVIII Londini vita functus est Franciscus De Vico, cum rerum novarum motibus ab italia extorris americam transmitteret.

Ad caeli dimetiendi leges, quas plures annos Romae docuit, animum appulit, easque recentibus ditavit et inventis et doctrinis.

Saturni annulos et satellites suis in conversionibus consectatus est: Veneris sese revolventis orbes descripsit: septem prior cometes conspicatus est, ex his iter reditumque ignoti, qui nomen De Vico obtinet, edixit initis accurate rationibus: caeli spatia, quo astrorum minima facilius inspectaret, circulis zonisque innumeris conclusit.

Danorum rex, et nobilior quaevis europae academia praemiis honoribusque Franciscum certatim honestarunt.

Clarissimo comitum De Vico genere ortus erat Maceratae in Piceno anno euntis seculi MDCCCV.

Pudor modestia supplicandi studium rerumque fluxarum contemptus Francisci De Vico animum ornarunt.

X.

VINCENTIUS PALLOTTI.

Romae nostris ex oculis species eximia virtutis sublata est XI kalendas februarias anni MDCCCL: qua die ex rebus humanis exemptus est Vincentius Pallotti, cum quintum supra quinquagesimum annum decurreret.

Mira Vincentio a teneris ad pietatem indoles, mira facultas fuit. Puer labore, sollertia, precibusque ad magnam Dei Parentem fusis, aciem retusioris ingenii exacuit, mentem studiorum contentione subegit, discendi salebras devicit, memoriam exercitatione firmavit: qui illum in litterarum palaestra longo anteibant intervallo, praevertit. Primas in latinis graecisque litteris, in historiae cognitione, in philosophicis doctrinis, inito tentamine, tulit: theologus, magna decurialium doctorum assensione, in leoniano urbis lyceo renunciatus, academici munus obivit, disceptationibus praefuit, audientes exemplo hortatu praemiisque ad discendi cupiditatem excivit.

Sed virtutem doctrinis potiorem habuit. In circulo inter disserendum cum quidam petulans dicaxque mordaciore eum verbo appetiisset; non vultum immutavit Vincentius, eadem vocis constantia, orationem quam inchoarat, absolvit, ne laevum quidem oculum in obloquentem retorsit.

Anno MDCCCXVIII XVI kalendas iunias, qui dies Trinitati Augustae festus incidit, rei primum divinae operatus est: quibus rite peragendis mysteriis sese menstruis comparavit exercitationibus, ab omnium oculis et consuetudine remotus. Hinc illi ingens ad virtutem provectio, hinc recens ad divina studium.

Quae in virorum sanctimonia praestantium vitis insignia arduaque imitatu cognovit, ea suis ipse moribus vivendique ratione expressit.

Zona setis aspera pectus devincire, catenula praeacutis obarmata cuspidibus femur et brachia obligare, flagris lorisque sese ita immaniter concidere, ut verberum cruentae notae vibicesque perdiu exstarent. Ad haec ieiunus dies fere solidos exigebat: collectam famem modo pauculis panis frustulis, modo leguminibus viliorique olere explebat: sitim frigida levabat, esurialibus tantum cibis victitans, exquisitiore sibi dape interdicta.

Hisce attritus cruciatibus in morbum incidit, febri tentari cepit, sanguinem eiectavit, in vitae discrimen diuturnitate morbi coniectus est. Sibi parcere iussus voluntati monentium adquievit; conscientiae moderatori habenas adducenti paruit: se enim suaque omnia illius permisit nutui, eius se flexit finxitque arbitratu; ne verbo quidem contra hiscere ausus.

Lucrandis Deo animis noctu interdiuque studio inexplebili excubavit Vincentius. Summo iuxta ac imo loco natos, pauperum greges, sacros iuvenum qui in ecclesiae spem adolescunt, coetus, artificum collegia excoluit: militum valetudinaria in virtutis palaestras convertit: iter illi ad custodias publicas frequens: capite mulctatos ad

supplicium ductavit: animam agentibus adfuit: octiduis exercitationibus omne hominum genus domi forisque excoluit: ad citima oppida excurrit.

Nullum Vincentii adeundi intempestivum tempus: nocte sera, primo diluculo, medio die omnibus praesto fuit, omnibus sui copiam fecit, omnes salubri expiavit poenitentia, omnes ad pietatem provexit.

Pauperum turmas pauper aluit: rei domesticae difficultate laborantes levavit: quidquid sibi ad manum erat, in egentes effudit, ne suis quidem vestibus et calceis parcens.

Anno MDCCCXXXVII medio mense sextili cum asiana lues Romae incubuit, multaque hominum millia stravit, in medium sese discrimen coniecit Vincentius animae magnae prodigus: nulla re miseris defuit: non laboris mole, non assidua contentione fractus.

Aestimatu difficile est, quot depositae spei homines, quos foedae conscientiae labes modo non in furorem agebant, elutis apud Vincentium criminibus, divinoque refecti epulo mentem receperint, consilia in melius retulerint, vitamque ad christianas leges exegerint.

Quo pietatis studium latius proferret, prolatumque foveret, operam dedit, corrogata a divitibus pecunia, ut aurea praesulis sanctissimi De Ligorio volumina saepius recuderentur, recusaque in omnium manus venirent; quod consilium quam bene rei christianae verterit, exitus docuit.

Vincentio auctore Romae anno MDCCCXXXVI nonis ianuariis solemnia Deo Infanti a tribus sapientibus adorato instaurata, ad octiduum producta: singulis diebus

operatum sacris graeco armeno romanoque ritu: conciones ad populum anglo gallico hispano germanoque sermone habitae: nihil quod religionem refoveret, dimissum.

Puellis a pudicitiae amittendae discrimine submotis perfugium, collata opulentiorum stipe, praebuit, vitae pie instituendae praecepta edixit, satis amplas aedes comparavit.

Sodalium, qui tum se tum alios ad evangelii disciplinam componerent, remque christianam concionibus, sacris expeditionibus, animis a vitiis ad bonam frugem traducendis amplificarent proveherentque, coetum constituit, sapientibus temperavit legibus, suoque illi ad virtutem exemplo praeluxit.

Aliis opem ferendi studium cum virtutis suae studio certavit perpetuo. Supplicandi tempus ad multam noctem extrahebat; quinas ternasve tantum horas indulgens sopori aut in genua volvebatur, aut gelidae humo incubabat.

Quotannis in tusculanam sancti Romualdi eremum sese subducens, solitudinis otium eo regustabat avidius, quo graviores exantlarat labores: heic in rerum divinarum commentatione se totum abdebat, caelestia retractabat, se respiciebat: heic Dei laudes concinentibus sese immiscebat. Terrena illi omnia insuavia: superna tantum sapiebant.

Erga Christum Dominum in sacramento augusto delitescentem eo religionis sensu ferebatur, ac si praesentem praesens et adspectaret et adloqueretur. Magnam Dei Parentem labis primaevae exsortem, eiusque virum Iosephum et coluit impense, et ut a suis colerentur, veluti testamento mandavit.

Statura humilis, maleque a natura tornatus: humeris incurvus, fronte recalva, obtutu humi defixo, brevi rudi obsoletaque tunica: nihil in eo spectabile nisi virtus: haec in se omnium oculos animosque vertebat: haec in omnium ore versabatur.

Extremo conflictatus morbo, cum sibi exitum imminere persentiret, tanta perfusus voluptate est, ut beatas caeli delicias praelibare videretur. Eius funus civitas universa moerore, virtutumque eius praedicatione prosequuta est.

Condita ab eo Societas tanti nobis viri iacturam rependit.

XI.

GASPAR DEL BUFALO.

Virtutis magis et operum, quam annorum et vitae confectis stipendiis Gaspar Delbufalo morbo ex laboribus hausto absumptus est Romae exeunte decembri anni MDCCCXXXVII, qua in urbe ante annos duos supra quinquaginta editus fuerat.

A teneris mores induit sanctissimos, vitaeque integritate s. Aloisii integritatem retulit: nihil in eo non ad christiani pudoris normam exactum, nihil quod ab honesti rectique legibus minimum excideret.

Cum nondum excederet ex ephebis, virtute aetatem praevertens, pueros iuxta ac natu grandiores aptis probeque conclusis oratiunculis ad pietatem provexit; uberioribus operis evangelici proventibus proludens.

Studiorum orbe exacto, nobilique ad s. Marci auctus sacerdotio, cum Pii VII P. M. monitis et voluntati haereret, militum manipulo intercipitur, Roma Lucum Aemiliae urbem, exin Bononiam abstrahitur, in vincula coniicitur. Exilii custodiaeque aerumnas erecto obfirmatoque animo ferens, inque virtutum compendia convertens, sacris mentem alit reficitque commentationibus, nihil nisi aeterna revolvens.

Urbem anno euntis seculi quartodecimo regressus, quam inflammato studio ad animarum lucra raperetur,

extemplo compertum est. Pio VII iniecta caelitus mens fuit, ut sacrae ad urbes et oppida expeditiones inirentur, quo pietas motu bellorum rerumque publicarum conversionibus collapsa et oblanguens reviresceret, hominumque mentes a vitiis, quae in tanta temporum acerbitate sese impune extulerant, ad virtutem verterentur.

Nec mora: agmen instruitur: lectissima virorum manus, qui eloquentia, nec impari ad hoc obeundum munus sapientia pollerent, comparatur: huic ceu velitum expeditae turmae praeficitur dux et auctor Gaspar: cuius velitationibus idem qui vitae, modus fuit.

Itaque per urbes late et oppida agens suorum globum exspatiatur Gaspar: ea denis quindenis vicenis, ubi res ferret, diebus excolit: bellum vitiis indicit, congreditur; victor, excusso e populi cervicibus iugo criminum, opimoque auctus triumpho e congressione discedit.

Civitates se alias demiratae sunt: iactata in Deum dicta obticuerunt: aedibus sacris nitor cultusque additus: labes quae moribus inhaeserant detersae, animi poenitentia rite expiati: mysteria divina frequentius obita: supplicationes per vias et compita significatione pietatis eximia deductae: qui in tutela versabantur erroris, ad veritatis patrocinium traducti: e manibus impia volumina excussa, alia quae pietatem alerent, subiecta.

Iniri eorum numerus nequit, qui cum mentem a religione alienam gererent, et publica notati voce a sacris perdiu abhorrerent, veritate alte in eorum pectus demissa, sese recepere longeque aliam vivendi rationem inivere. Hinc odia posita, iurgiorum semina praefocata, sceleris coitiones dissutae, vitiorum radices stirpitus exturbatae,

mentibus male obsidentes umbrae errorum dispulsae; religio in novam veluti lucem emersa.

Gasparis adeo secunda fama pervaserat, ut populos turmatim exciret; missaque rerum suarum cura cives, accolae, incolae, oppidani, ruricolae e viciniis confertim confluerent; audientiumque exundante frequentia, e templi septis concio foret in apertum efferenda.

Quae vis Gaspari oranti inesset; quae rationum momenta: quod sententiis pondus: quae ubertas et copia non verbis sed rebus affluens; qui lucidus ordo; quae in agendo dignitas, quod in voce sonorum; ex eo coniectes, quod omnibus naturae, studiorum, virtutisque praesidiis instructus ad dicendum accesserat.

In medio laborum cursu nunquam a se oculos dimovit: si quid otii ab animarum opere vacaret, naviter ad caelestia conferebat: heic pietatis studio incalescebat; heic animum reficiebat: hinc recens et integer ad conserendam educendamque evangelii messem sese referebat.

Assidua cum Deo consuetudo: inter agendum crebris brevibusque sententiis e caritatis quasi pharetra depromptis sese erigebat, sibique ad virtutis spatia alacriter decurrenda stimulos subiiciebat.

Honorum fugitans nihil avebat optatius, quam latere, despici, pessime ab omnibus haberi: quo apud omnes ordines clarior opinione virtutis, eo maiori sibi erat despectui.

Nihil Gaspare modestius, verecundius nihil.

Candorem mentis, animique integritatem, quam nulla temeratam labe sepulcro intulit, oculis et fronte praeferebat.

Oris species ingenua et liberalis: membrorum conformatio honestissima: corpus patiens inediae algoris vigiliae egentiae rerum omnium: magnus animus caelestia spectabat, humana contemnens; quaecumque acciderent tum e sententia, tum secus, sibi aequus, sibi constans: solitudinis studio corripiebatur; semper apud se erat.

Ut fidei rudimentis minuta plebs imbueretur, ut tenerae puerorum mentes ad pietatem fingerentur, ut sacrorum administri ad animarum lucra naviter incumberent, omnesque civium ordines virtutum, religionisque studio recalescerent, id operam perpetuo dedit.

Virginum collegia, datis legibus, constituit, quae curam omnem et ingenium ad puellas probe instituendas conferrent, earumque ineuntem aetatem ad religionis rite obeunda munia, et ad eas artes, quae benemoratas matresfamilias decent, veluti manu ductarent.

Sodalium, qui coeptum a se opus insisterent, quosque suae virtutis veluti scripsit heredes, coetum condidit, optimis communivit institutis, eique a Christi Domini cruore nomen indidit: hunc, antequam e vivis abiret, pluribus in urbibus constitutum et bene de religione merentem conspexit.

Demortuo is habitus honos, qui viris eximiae virtutis. Conditus est Albani ad s. Pauli, ubi duodeviginti ante annis evangelici cursum laboris instruxerat.

XII.

FRANCISCUS GAESI.

Quo asperiora Francisco Gaesi viterbiensi exordia sacerdotii, eo laetiora incrementa fuerunt. Vixdum sacris initiatus in iudicium abripitur, quod Pii VII scitis contra legum novarum auctores pareret, in custodiam truditur: rerumque omnium egenus in cyrnaeam insulam transvehitur, ubi aerumnosam vitam extremo in discrimine exegit quinquennio.

In exilio nec aerumnis fractus, nec minis deterritus, nec effera hostium iussa reformidans, multos qui iniquo in rem christianam animo erant, emollivit, ad meliora traduxit.

Domum redux, inque patrum canonicorum aedis principis collegium adscitus virtutum omnium exemplar civibus praefulsit.

Aegrotis animamque agentibus noctes atque dies adesse; miseros in custodiis et valetudinariis solari: aures confitentibus adhibere, eosque noxarum sordibus eluere: pauperculos inopia levare, quibus ne deesset, pane caseoque annos solidos victitavit.

Oblatam ad divina peragenda mysteria stipem perpetuo renuit: quidquid lucelli sacra obeuntibus munia attribuitur, reiecit: quo pecuniae abstinentior, eo ad animarum opem paratior.

Animi demissione honorumque contemptu insignis. Dignitatibus a Leone XII et Pio VIII oblatis obscuram Viterbii vitam antetulit.

Adolescentes, qui sacris ecclesiae muneribus in collegio proludunt, pietatis magister instituit, ad morum sanctitatem hortatibus exemplis omnique virtutum praesidio provexit.

Nihil illo candidius, apertius nihil: omnium ordinum animos sibi spectatae virtutis studio devinxerat.

Caelo receptus est VI idus novembres anno a partu Virginis MDCCCXLV aetatis LXXIII.

Quam civitati carus foret, dolore omnium ordinum et lacrymis exploratum est.

XIII.

MARIA CATHARINE DE ANDREA VIRGO.

Virtus quo ab oculis hominum et conspectu remotior, eo intaminata luce nitentior, Deoque testi gratior. Hanc, ne aetatum flexu consenescat aut intercidat, litteris prodimus.

Neapoli anno christiano MDCCCLVI ipsis kalendis maiis, quem in diem incidere sollemnia Christi Domini ascendentis in caelum, addita beatorum concilio est Maria Catharine De Andrea virgo, Salesii patris disciplinam amplexa. Septimus illi supra quadragesimum necdum plenis exactis mensibus annus vertebatur.

Pater illi Ioannes De Andrea, dignitate princeps inter suos, cuius viri egregie de religione de patria de re publica meriti memoriam excipiet sera posteritas. Mater Lucretia Rivera e Marsorum comitibus, femina spectatae virtutis, pietatis antiquae. Quorum genus longo ab avis atavisque ordine ductum, toga et armis, domi forisque clarum novis in dies dignitatis accessionibus honestatur.

Domesticos inter parietes suis Maria oculis hausit pietatem, quae infantulae animo altius immissa sese extulit explicuitque aetate confirmata. Parentum enim mores tacitus illi ad virtutem hortatus erant.

Virtutis in puellula insigne emicabat. Iudicium limatulum, morum elegantia, pudor ori ingenuo et liberali suffusus, compta et concinna oratio, comitas in fratres, in parentes obsequium, urbanitas in omnes.

Ingenium a natura argutum optimis perpolivit doctrinis. Memoriae historias mandare, descriptas orbis regiones, varios hominum cultus moresque tenere, utriusque sermones linguae callere, mitiora litterarum humaniorum studia degustare, gallice ita eloqui scienter et commode pronuntiare, ut eam Lutetiae altam et eductam dixisses.

Ad haec manu magistra suavissimos e fidibus modos elicere, vocemque ad musicos graduum vel tenuiorum flexus modulari.

Sed quod mirere magis, animus illi a noxiis voluptatibus immunis, non elatus, non cupidus, non desidi otio oblanguens, sed acer et experrectus. Inanem quam leviusculae puellae dignitate oris, vestium elegantia, composito capillo gloriolam venantur, aspernari, nihil adlaborare ut ab hominibus, plurimum ut a Deo gratiam iniret.

Nihil illi in amoribus nisi caelestia, nihil mente libentius agitare nisi solitudinem, a seculo avolare, in eremum se condere, ubi nec hominum vultus conspiceret, nec nomen et facta obaudiret, sed suavissimam cum Deo consuetudinem iniret, inque ea conquiesceret.

Quod mente molitur consilium, quod animo fovet optatum, cum iis confert, quibus cordis arcana concredere, seque penitus, ut regeretur, aperire consuevit, qui nec divino obnitendum instinctui, nec omnes inflammato pietatis studio effundendas duxerunt habenas.

Itaque ne tantae flos virtutis vel leviore contagionis afflatu oblangueret, in sacri obseptique hortuli aream manus eum divina transevit, ubi abrupto a turbine nimbosisque a procellis immunis, caelestique rore innutritus suavissimos late perflaret odores.

Ioannes autem, quae eius fuit pietas, filiolam quam plus oculis suis amabat, aequissimo animo a se distrahi avellique sinit, eique in Salesii patris claustra aditum communit.

Auspice et viae duce Iosepho magnae Dei parentis viro, cuius praesidii festum diem eo anno MDCCCXXIX agebat ecclesia, in Salesii legiferi patris aedes Maria De Andrea, quae sibi Catharines nomen adscivit, pedem intulit, summa virginum gratulatione.

Heic vero non pedetentim et gradatim iter virtutis carpere, sed contento cursu corripere, et veluti uno halitu e carcere ad metam.

Sui rerumque oblita suarum in Christi sponsi sinum ruere, Christo amplexibus avidis haerere, eum totis fovere medullis, eiusque amore ceu senensem, quam nomine referebat, Catharinem tabescere. Christum sponsum in ara delitescentem crebro intervisere, oculos in eum cupide intendere, adloqui adstantem. Illum veniente, illum decedente die adire, nec sera ab eo nocte discedere.

Quo arctioribus Deo amoribus iuncta, eo contubernales et socias tenaciore complexata est studio. Omnibus gratificari, omnes obsequio et comitate demereri, nullum singulas iuvandi locum dimittere, omnibus ceu ad manum esse, utque eas onere levaret, ad humillima quae-

que sese abiicere, domum everrere, scyphos ac lagenas abstergere, frumenti corbes, vini cados, lignorum fasces hac illac vectare, maiore animi contentione, quam fractae vires ferrent.

Puellis quae virtutis stadium ineunt, primaque sanctiori vitae ponunt rudimenta, regendis praeses et antistita exemplo praeivit, molliores, ut eas in officio contineret, aditus praestruxit, praesto illis singulas in horas fuit. Ut earum mores ad Salesii magistri disciplinam fingeret, nullam officii partem deseruit.

Aedis sacrae, ut primum aeditumae munus inivit, decor reviviscere et recreari visus est. Aucta supellex, arae floribus, textilibus, argentoque nituere, gentis De Andrea opibus et munificentia.

Silentii ac solitudinis, quibus mire capiebatur, servantissima, brevi conclusa conclavi delitescebat. Nulla illam hieme apricandi, nulla ad auras aestivo sole spatiandi voluptas e cellae latebris extrusit. Heic in preces effusa, et animo aeterna percurrens suaviores quae aut sensu degustari aut cogitatu attingi queunt, delicias mente aequabat.

Legum, quibus quaeque perstat et viget societas, nullam vel tenuiorem aut fregit aut resolvit. Mariae Catharines vita legum instar erat.

Hinc brevi annorum lapsu ea Mariae Catharines virtutibus adcrevit accessio, ut nullus qui aevi sempiterni corollae innecteretur, vel lectissimus flos deesset.

Diuturnis tentari morbis coepit, hos modo ingravescere, nunc remittere, capitis perpetua obtundi gravedine,

stomacho oblanguere ac defici, in febres incidere. Haec inter non animo frangi non deiici, sed fronte innubi vocisque constantia alias solari, aliis moerorem abstergere. Diri demum scirromatis virus in pectus irrupit, quo sensim tabescens ad aetereas sedes ceu candidissima columba e corporis compedibus evolavit.

Quo in amore omnibus foret, moerore funeris indicatum est.

LIBER SECUNDUS.

INSCRIPTIONES

QUI HAEC LEGIS, MONITUM TE VOLO, IN HISCE TITULIS EDENDIS ME NON ARGUMENTI, SED TEMPORIS, QUO IN MANUS HOMINUM VENERE, RATIONEM SERVASSE: EO CONSILIO UT SI QUID DEINCEPS E MEIS SCHEDIS EXCIDERIT, SUPERIORIBUS APPONI NON INTERTURBATO ORDINE QUEAT.

I.

AGE . AGE
PRAESIDIVM . ET . NOSTRVM . DECVS
VRBEM . DESIDERIO . TVI
EHEV . NIMIVM . OBLANGVENTEM . SOLARE
SOSPITAS . RELIGIO . BONAEQVE . ARTES
TE . NOBIS . EREPTO
EXSVLARVNT *

II.

TVTELA . PRAESENS . ROMAE
VIDEN
AMOR . ET . PIETAS . AGVNT
EFFVSOS . MOENIBVS . CIVES
IN . OCCVRSVM . TVI

---

* Hunc et qui pone subeunt septem titulos edidit auctor pridie idus apriles anni MDCCCL, quo die Pius IX Pont. Max. Urbem honoris sui sedem repetiit.

III.

ORDO . ET . POPVLI . AGMEN
PLAVDITE
PARENTEM . VVLTV . DISCITE
DIES . ADOREA . OPTATA
RISIT

IV.

PIO . REDVCI
OMNIA . FELICIA

V.

IO . PATER . IO . SOLATOR
IO . VINDEX . RELIGIONIS . DEPVLSOR . TYRANNIDIS
ITERVM . ASSVESCE . VOCARI
ADSERTOR . FELICITATIS . PVBLICAE

VI.

SPARGITE . VIAS . FLORIBVS
FVNALIA . NOCTEM . VINCANT
VRBS . ASSONET . PLAVSIBVS
PARENTE . RECEPTO

VII.

CAELITVM . DECVS . PETRE
DVX . ET . CVSTOS . GENTIS . ROMANAE
QVAE . TVO . CREVIT . SANGVINE
TVI . MVNERIS . EST
SI . DEPVLSIS . LACRVMIS . NEQVITIA . METV
AVREA . PAX . VRBEM . COLAT
FIDEIQVE . MAGISTER . SEDEM . MAIORVM
SOSPES . REPETAT

VIII.

MARIA
OPIFERA . SOSPITATRIX
TE . OMNES . SOLLICITA . AMBIMVS . PRECE
DEXTRO . VT . LVMINE . RESPECTES
PIVM
TE . AVSPICE . MVLTA . PER . QVINQVENNIA
REM . ROMANAM . SISTAT . TVTETVR . AVCTET
QVA . SOL . PROMIT . QVA . CONDIT . DIEM
CHRISTIANVM . EVEHAT . NOMEN

IX.

VI. EIDVS . DECEMBRES
FAVSTISSIMO . DIERVM . ANNI . M. DCCC. LIIII.
ARCADES
PRAEEVNTE . NICOLAO . WISEMAN . PATRE . CARDINALI
OMNIBVS . LAETITIIS
PLAVDVNT *

X.

AN. R. S. M. DCCC. LIIII. VI. EID. DEC.
FASTI . MEMORES . AETERNENT
DIEM . HVNC . NIVEVM
QVO . D. N. PIVS . IX. PONT. MAX.
DEI . NVMINE . AFFLATVS
MAGNAM . DEI . PARENTEM
LABIS . AB . ORIGINE . NESCIAM
SOLEMNI . DECRETO
SANXIT . HABERI

---

* Haec, et quae sequuntur epigraphes octo editae sunt, cum Arcadum coetus in aula capitolina novum Virgini Matri decus gratulatus est: praefatus est vir disertissimus Nicolaus Wiseman ex augusto senatu patrum cardinalium.

XI.

AETAS . HAEC . NOMINE . IMPLEBITVR
PII . IX.
QVI . VENTVRA . IVSSIT . IRE . SECLA
AVCTA . NOVO . VIRGINIS
PRAECONIO

XII.

QVA . SOL . HABITABILES . LVSTRAT . PLAGAS
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ
PIO . IX.
VOTA . CVMVLANTI
AETATVM . ET . ORBIS

XIII.

AVDIN
SEPTENI . COLLES
HILAREM . CONCREPVERE . SONVM
VT . REI . CHRISTIANAE . ANTISTES . MAXIMVS
MYSTERIIS
ORA . RESOLVIT *

XIV.

VIRGO
LABIS . OMNIS . AB . ORIGINE . IMMVNIS
LVCIDVM . CAELI . IVBAR
CVLTA . NOBIS . VSQVE . ET . COLENDA
ADSIS . VOCATA
ITALIAE . ET . ROMAE . VRBIVM . PRINCIPI

---

* Tota Urbe aera templorum ac turrium festo sonitu plausere hora solida.

XV.

ALMA . DEI . PARENS
SPES . FIDA . COLVMENQVE . NOSTRVM
FAVE
TE . RERVM . CVSTODE
NON . FVROR . CIVILIS . PROCVDAT . ENSES
NON . CLASSICO . TERRITENTVR . CIVES
IRAE . ET . INGRVENTIA . DETVMESCANT . BELLA
AVREA . PAX . ADRIDEAT . ORBI *

XVI.

MARIA
EXORATA . SOSPITA . SOLATRIX
TRISTI . AEGRIMONIA . MENTES . SOLVE
LVES . ASIANA . FACESSAT
AVRAE . SALVBRES . SPIRENT
VINEAE . MENDACES . NON . FALLANT . LABORES
TELLVS . VBERE . SINV . FVNDAT . MESSES
PIETAS . PVDORQVE . PRISCVS
AB . INTEGRO . FLOREANT **

---

* Anno MDCCCLIV surgentis belli metu trepidabat europa.
** His cladibus premebantur Italiae urbes an. MDCCCLIV.

XVII.

SERA . POSTERITAS
ROMANAM . SVSPICIAT . PIETATEM
NARRETQVE . POSTGENITIS . LAETITIAM . ET . STVDIVM
CERTATIM . ORNANDI . MAGNAM . DEI . PARENTEM
LABIS . PRIMAEVAE . EXSORTEM
SOLLEMNIA . IN . TRIDVVM . INSTAVRATA
AEDES . SACRAE . CVLTV . SPLENDIDIORE . RENITENTES
AVLAEIS . VERSICOLORIBVS . LEMNISCIS . ET . VELIS . PROTECTAE
ARAE . MILLENIS . FACIBVS . LYCHNISQVE . LAVREATIS . RADIANTES
CONCENTVS . DIVINI . LIQVIDIVS . MODVLATI
SACRIS . RITV . AVGVSTIORE . OPERATVM
LAVDATIO . E . PEGMATE . A . DISERTISSIMIS . PRONVNCIATA
POETARVM . FLORES . LECTIORES . EXCERPTI
DOCTA . ET . LABORIOSA . VOLVMINA . EDITA
VRBS . IN . GAVDIVM . EFFVSA
VIAE . ET . FORA . AD . MVLTAM . NOCTEM . COLLVCENTIA
LIMBI . ET . PERISTROMATA . PRAE . DOMIBVS . SVSPENSA
QVID . NON . A . VIRGINE . OPIFERA . SPERANDVM

XVIII.

MARIAE . DEI . PARENTI
ET . BERNARDO . DOCTORI
AERA . CAMPANA . SACRILEGO . PERDVELLIVM . AVSV
COMMINVTA . ET . CONFLATA . IN . TORMENTA . BELLICA
SODALES . MARIALES
COLLATIS . PECVNIIS . RESTITVERVNT
TVRRI . LAXATA
ANNO . A . P. V. MDCCCLI.

XIX.

VIRGINI . DEI . PARENTI
LABIS . AB . ORIGINE . IMMVNI
CIVES . CVRIATI . S. MARIAE . AD . EQVIRIA
A . LVE . ASIANA . SOSPITES
SOLLEMNIA . IN . TRIDVVM
L. M. PERSOLVVNT

XX.

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
HIERONYMO . DE . ANDREA
DOMO . NEAPOLI . EX . ORDINE . SPLENDIDISSIMO
PONTIFICI . MELITEN.
A . SECRETIS . SACRI . CONSILII . TRIDENTIN . DECRETIS . INTERPRETANDIS
VIRTVTIS . STVDIO . ET . INGENII . LAVDE
FLORENTI
QVI . IN . PROVINCIARVM . PRAEFECTVRA
FAMAM . NOMINIS . SVI
SAPIENTIA . IMPLEVIT
IN . HELVETICA . LEGATIONE . REI . CHRISTIANAE . COMMODA
SIBI . ANTETVLIT
ET . DIFFICILLIMA . TEMPORVM . CONVERSIONE
PERDVELLES . RELIGIONEM . PESSVMDANTES
INVICTE . COERCVIT
A . D. N. PIO . IX. P. M. IN . SENATVM . PATRVM . CARDIN. ADSCITO
IDIB. MARTIIS . AN. A. P. V. M. DCCC. LII.
OMNIBVS . ORDINIBVS . LAETITIA . GESTIENTIBVS
PLAVSVS . AMICORVM . ET . GRATVLATIO

XXI.

ANNO . REPARATAE . SALVTIS . M. DCCC. LIII.
NONIS . MARTIIS
SANCTISSIMVS . D. N. PIVS . IX. P. M.
IN . PATRVM . PVRPVRATORVM . COLLEGIVM
ADLEGIT
PROSPERVM . CATERINIVM
MORVM . SANCTITATE . ET . MVLTARVM . DISCIPLINARVM
LAVDE . PRAESTANTEM
QVEM . GRAVISSIMIS . IN . REBVS . SPECTATA . VIRTVS
PER . VARIOS . HONORVM . GRADVS
AD . TANTAE . DIGNITATIS . FASTIGIVM
EVEXIT
QVOD . REI . CHRISTIANAE . BENEVERTAT

XXII.

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
PROSPERO . CATERINIO
VIRO . PROBATAE . VIRTVTIS
CANONVM . SACRORVM . SCIENTISSIMO
OB . PRAECLARA . IN . REM . CHRISTIANAM . MERITA
A . PIO . IX. PONT. MAX.
IN . AVGVSTVM . PATRVM . CARDINALIVM . SENATVM
COOPTATO
PLAVSVS . ET . GRATVLATIO

XXIII.

DEO . OPTIMO . MAXIMO
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ
QVOD . D. N. PIVS . IX.
AEQVISSIMVS . VIRTVTIS . IVDEX . ET . FAVTOR
DOMINICVM . SAVELLIVM
VIRVM . MAGNI . ANIMI . MAXIMIQVE . CONSILII
GRAVISSIMIS . MVNERIBVS . SANCTE . ET . AD . EXEMPLVM . PERFVNCTVM
QVEM . IN . TRISTI . TEMPORVM . ACERBITATE
PERPETVA . MENTIS . CONSTANTIA
ET . GESTARVM . RERVM . VSV . PERFECTA . SAPIENTIA
SVMMIS . VIRIS . AEQVAVIT
IN . AMPLISSIMVM . PATRVM . CARDINALIVM . ORDINEM
ADLEGIT
AMICIS . GAVDIO . GESTIENTIBVS

XXIV.

HEIC . IN . SEDE . HONORIS . SVI
CONDITVS . EST
IACOBVS . ALOISIVS . BRIGNOLE . CARD. PONTIF. SAB.
ABB. FARF. COMM. S. CAECILIAE . TRANS . TIBERIM
E . SPLENDIDISSIMO . ORDINE . IANVENSI . AB . AVIS . ET . MAIORIBVS
VNICVS . TANTAE . GENTIS . SVPERSTES
A . PRAETVRA . FERRARIENSI . ET . BONON. A . LEGATIONE . IN . ETRVRIAM
ET . PRAEFECTVRA . AERARII . PVBLICI
IN . PATRVM . CARDIN. SENATVM . COOPTATVS
PRAEPOSITVS . SACRO . CONSILIO . LIBRIS . NOTANDIS
AMPLISSIMAS . OPES. IN . DIOECES . SABIN. ET . EGENOS . LARGE . EFFVDIT
VASIS . AVREIS . ET . ARGENTEIS . DOMVS . SVAE . IN . NVMMOS . CONFLATIS
AERE . SVO . PVEROS . AD . PROBOS . MORES . INSTITVENDOS . CVRAVIT
PVDOR . MODESTIA . STVDIVM . SVPPLICANDI . SEQVE . AFFLICTANDI
VIRTVTES . SOCIAE . A . PVERO . AD . TVMVLVM . COMITATAE . SVNT
EXITV . SVBITO . DECESSIT . IX. KAL. IVL. A. C. MDCCCLIII. AN. NAT. P. M. LVI.
BONORVM . MOERORE . ET . LACRVMIS . EGENTIVM . HONESTATVS
FRANCISCVS . ET . IACOBVS . BALBI . MARCH. SORORIS . FILII
POSVERVNT
AVVNCVLO . INCOMPARABILI *

* Romae ad s. Caeciliae.

XXV.

A ☧ Ω

KATERINE . HEIC . DORMIT
PROLES . SEXTA
IACOBI . ANGELINI-ROTA
PRAESIDIS . IVRI . DICVNDO
QVAE . ANNO . IV. VITAE . INEVNTIS
AD . FRATERCVLVM . SVVM . CAELESTEM
AVOLAVIT
POSTRID. KAL. APRILES . AN. MDCCCXXII.
AVE . ANIMVLA . INNOCENTISSIMA
ET . VIVE . IN . CHRISTO *

---

* Frusinone ad s. Mariae ab Angelo salutatae.

XXVI.

A ☧ Ω

HEIC . COMPOSITA . EST
PAVLINA . GORI
F. N.
VXOR . IACOBI . ANGELINI-ROTA . PRAETORIS
MODESTIAE . ET . PIETATIS
SERVANTISSIMA
QVAE . VT . NICOLAO . FILIO . GRAVITER . AEGROTANTI
ADESSET
CVRIS . MORBOQVE . ABSVMPTA . EST
X. KAL. APRILES . AN. MDCCCXXVIII.
AN. NATA . P. M. XLVIII.
CAMILLVS . ANTONIVS . NICOLAVS
MATRI . SANCTISSIMAE
P. *

* Interamnae Nartium in aede principe.

XXVII.

A ☧ Ω

HEIC . CONDITAE . SVNT . EXSVVIAE
IOSEPHI . BENAGLIO . COMITIS
SACERDOTIS . PIENTISSIMI
E . COLLEGIO . PATRVM . CANON. AEDIS . MAXIMAE
VICE . SACRA . ANTISTITIS . BERGOM.
MAGISTERIO . CONSILIO . CONCIONIBVS . SACRIS
LAVDEM . OMNEM . SVPERGRESSI
VIXIT . AN. LXIX.
NVLLIS . AD . REM . CHRISTIANAM . PROVEHENDAM
PARCENS . LABORIBVS
DECESSIT . XV. KAL. FEBR. AN. MDCCCXXXVI.
SOCIETAS . VIRGINVM . QVAE . ET . FILIAE
A . CORDE . IESV . D. N.
MONVMENTVM . TRANSLATIS . CINERIBVS
POSVIT
PARENTI . OPTIMO
PLVRA . DE . SVA . INSTITVTIONE . MERITO
QVAM . TITVLO . SCRIBI . QVEAT *

* Bergomi.

XXVIII.

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
IRENE . VXOR . ALOISII . DE . MARTINI
CVIVS . MISERICORDIA . IN . EGENOS
ADOLEVIT . CVM . ANNIS
PIA . VIXIT . AN. LXXVI. DECESSIT . IV. NON. IAN. AN. MDCCCXXXXIX.
FILII . QVOS . AD . PIETATEM . INSTITVIT
MATRVM . OPTIMAE
P. *

XXIX.

HEIC . DORMIT
AMALIA . CIRILLI . AN. VI.
VIRTVTE . AETATEM . ANTEGRESSA
AMOR . ET . DELICIVM . PARENTVM
AD . CAELESTES . AVOLAVIT . VIII. ID. FEB. AN. MDCCCLVI.
AVE . COLVMBA . CANDIDISSIMA
ET . VIVE . IN . CHRISTO **

* Beneventi in sacrario gentis Martiniae aedis Mariae Opiferae.
** Romae ad s. Rochi.

XXX.

A ☧ Ω

MEMORIAE . ET . NOMINI
MICHAELIS . ANGELI . PISTOLESI
DOMO . MOROLO . APVD . VOLSCOS
PRAEPOSITI . COLLEGIO . CANONICORVM . S. MARIAE
LATINE . PERITISSIMI
QVI . NEGLIGENS . HONORVM . ET . VOLVPTATVM
OMNE . TEMPVS
ANIMIS . AD . PIETATEM . PROVEHENDIS
ET . ADOLESCENTIBVS . PRIVATIM . INSTITVENDIS
TRANSMISIT
DECESSIT . PRID. KAL. DECEMBRES . AN. MDCCCL.
ANNOS . NATVS . P. M. LXXX.
ANTONIVS . ANGELINI . E . SOC. IESV
INSTITVTORI . SVO
TITVLVM . ET . LACRVMAS

XXXI.

A ☧ Ω

QVIETI . ET . NOMINI
THOMAE . BORTI
E . COLLEGIO . CANONICORVM . S. MARIAE . AD . VIAM . LATAM
VIRI . ANTIQVAE . INTEGRITATIS
IN . ANIMIS . AD . PIETATEM . EXCOLENDIS
NVMQVAM . REMISSI
CVIVS . SAPIENTIA . MVLTIS . SALVTI
RELIGIO . OMNIBVS . EXEMPLO . FVIT
IMPROVISO . EXITV . DECESSIT
PRID. NONAS . QVINTILES . M. DCCC. LII.
ANNVM . AGENS . LVI.
OMNIVM . ORDINVM . LACRYMIS . HONESTATVS
AVE . ET . VALE . ANIMA . INNOCENTISSIMA . IN . PACE
AMICI . EXIMIAE . VIRTVTIS . DESIDERIO . POSVERE *

* Romae.

XXXII.

A ☧ Ω

TE . SVPPLICI . POSCIMVS . PRECE
MAGNA . DEI . PARENS
VT . CAELI . SEDIBVS . INSERAS
IOACHIMVM . GVTIERREZ . DE . ESTRADA
QVI . TE . COLVIT . IMPENSE
DECESSIT . NONIS . IAN. AN. MDCCCLII. AET. XLVII.
FAVSTINA . CVM . NATIS . DECEM
AD . LVCTVM . ET . LVCRVMAS . RELICTA
POSVIT . MARITO . BENEMERENTI
QVOCVM . CONCORDISSIME . VIXIT *

---

* In hoc monumento quod anno MDCCCLVI constitutum fuit Campechii in Iucatania, molliter excuso a Teneranio cernere est supplicem, inque genua provolutam Faustinam coniugem cum decem liberis ante Virginem Dei Parentem exedrae insidentem.

XXXIII.

H. S. E.
IACOBVS . PILOTTI . PATRICENSIS
E . COLLEGIO . CANONICORVM . AEDIS . MAXIMAE
CVIVS . STVDIVM . IN . ANIMIS . AD . MELIORA . VERTENDIS
OMNIBVS . EXEMPLO . FVIT
DIEM . SVVM . OBIVIT . V. IDVS . AVG. AN. MDCCCLIII.
ANNOS . NATVS . LVIII.
IOANNES . FRATRI . SVAVISSIMO
CVM . LACRIMIS . POSVIT *

XXXIV.

TE . IN . PACE . CHRISTVS
IOANNI . GRAZIA
Θ. XVIII. KAL. OCT. AN. MDCCCLVI.
AETAT. LVI.
ANGELVS . FILIVS

* Ferentini.

XXXV.

MEMORIAE . ET . NOMINI
HIPPOLYTI . GVIDI
EQVITIS . GREGORIANI
QVI . ARTIS . MEDICAE . PRVDENTIAM
MVLTIGENA . ERVDITIONE . EXORNAVIT
PIETATE . IN . DEVM . INDVLGENTIA . IN . AMICOS
COMITATE . IN . OMNES
FIDE . IN . PONTIFICES . ROMANOS . IMMOTA
CIVIVM . AMOREM . ET . LAVDES
MERITVS
DECESSIT . XVII. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLIII.
AN. AGENS . LXXII.

XXXVI.

KAROLO . FINELLI
DOMO . CARARIA
ARTIS . SCVLPENDI . PERITISSIMO
IN . QVO . ANTONIVM . CANOVAM . SIBI . REDDITVM
ITALI . DEMIRATI . SVNT
Θ. ROMAE . VIII. EID. SEPTEMB. A. M. DCCC. LIII.
QVVM . AGERET . AN. LXXIII.
ELLOGIVM . ET . CARMINA *

XXXVII.

AEQVVS . MENTE . ET . INVIDIA . MAIOR
VVLGI . RVMORES
ET . LEVIA . HOMINVM . IVDICIA
SOLIDAE . LAVDI
POSTHABVIT

---

* Tituli appositi libello carminum coetus arcadum.

XXXVIII.

RELIGIONIS . AMPLIFICANDAE . STVDIOSVS
QVIDQVID . OPVM . SIBI . PARTVM . LABORE . FVIT
IN . DEI . CVLTVM . IN . AEGRORVM . LEVAMEN
INQVE . PVEROS . AD . PIETATEM . FINGENDOS
TESTAMENTO . TRANSMISIT

XXXIX.

IN . MICHAELIS . CAELESTIVM . PRINCIPIS
ET . MATTHAEI . APOSTOLI
SPIRANTIBVS . SIGNIS
PRAESTITIT
NE . CHRISTIANAE . ARTES
GRAECIS . DECEDERENT

XL.

A ☧ Ω

H. S. E.
ZELVIRA . VIRGO
AN. XXVI.
QVAE . DOMI . SANCTIMONIAM . PROFESSA
MORES . INTEGERRIMOS . ORANDI . STVDIO
ORNAVIT
EGENOS . MORBISQ. CONFLICTATOS . CARITATE . COMPLEXA
AD . DEMISSISSIMA . MVNIA . SESE . ABIECIT
VEL . HVMANDIS . CORPORIBVS . INSERVIENS
EXITV . PLACIDISSIMO . ABIIT . AD . CAELESTES
III. NON. SEXTIL. A. MDCCCLIII.
NICOLAVS . TOZZI . CONDIVI . V. N.
CONTRA . VOTVM . POSVIT
FILIAE . CARISSIMAE
AVE . COLVMBA . CANDIDISSIMA . ET . VIVE . IN . ☧ *

---

* Cuprae Montanae in Piceno.

XLI.

A ☧ Ω

HEIC . AD . ARAM . MARIAE . PERDOLENTIS
CONDITVS . EST
VT . TESTAMENTO . MANDARAT
CAIETANVS . FRANCESCHINI . SACERDOS
CVBICVL. ORNAMENT. GREGORII . XVI. ET . PII . IX.
DE . PATRIA . DEQVE . AEDE . HAC . MARTINIANA . PROBE . MERITVS
PIVS . VIXIT . A. P. M. LXXVI.
DECESSIT . XI. KAL. DEC. AN. MDCCCLIV.
TE . IN . PACE . ☧ *

* Hispelli in Umbria.

XLII.

A ☧ Ω

HIC . AD . TVMVLVM
VIRI . PIENTISSIMI . VINCENTII . PALLOTTI
APPOSITVS . EST . VT . SIBI . IN . OPTATIS . FVERAT
VINCENTIVS . GEORGII . F. GORI
DOMO . ORIOLO
INCOLA . A . PVERIS . ROMANVS
RELIGIONIS . STVDIOSISSIMVS
DE . SODALITATE . A . CATHOLICO . APOSTOLATV . OPTIME . MERITVS
CVIVS . LIBERALITATE
TEMPLVM . INSTAVRATVM . PRODVCTVMQVE
PIVS . VIXIT . A. P. M. LXXII.
DECESSIT . IV. ID. IAN. A. C. MDCCCLV.
IOANNES . SACERDOS
FRATRI . OPTATISSIMO
MON. P. *

---

* Romae ad Christi Domini Servatoris ad undas.

XLIII.

A ☧ Ω

MARIA . HEIC . DORMIT
PROLES . VNICA
PII . ROFFI . ISABELLI . EQ. ET . MATILDAE . NARDI
FESTIVA . INGENIOSA . SVAVISSIMA
QVAE . AN. VII. VITAE . EXORIENTIS
AD . SVPEROS . EVOLAVIT
PRID. EID. MAIAS . AN. M. DCCC. LV.
HANC . BIDVO . POST . SEQVVTA . EST
BAPTISTA . AMITA
VIRGO
QVAE . PIA . VIXIT . AN. LVIII.
AVETE . ANIMAE . INNOCENTISSIMAE
ET . VIVITE . IN . CHRISTO *

* Ferentini in aede sacra Soc. Iesu.

XLIV.

A ☧ Ω

HEIC . CONDITVS . EST
FRANCISCVS . MANENTI
MORIBVS . SPECTATISSIMIS
CVLTOR . EXIMIVS . MAGNAE . DEI . PARENTIS
CVIVS . AEDI . AD . QVERCVM
MAGNAM . AVREORVM . VIM
LEGAVIT
DECESSIT . PRIDIE . IDVS . OCTOBRES . AN. MDCCCLVI.
ANNOS . NATVS . LXX.
MAGDALENE . VXOR . ALOISIVS . FRATER
P. *

---

* Romae.

XLV.

A ☧ Ω

HEIC . AD . PARENTEM . SVAM
APPOSITA . EST
ALOISIA . BENSI
VXOR . DIONISII . PROSPERI
FIDE . IN . CONIVGEM
CVRA . IN . FILIA . INSTITVENDA
PIETATE . IN . MATREM . DEI . PERDOLENTEM
EXIMIA
PHTHISI . ABSVMPTA . EST . XVI. KAL. DEC. AN. MDCCCLVI.
ANNOS . NATA . XXXIII. TANTVM
VIVAS . IN . CHRISTO

XLVI.

A ☧ Ω

DIES . XIV. KAL. APR. AN. CHR. MDCCCLVI.
MOESTVS . ILLVXIT
IOANNAE . ISABELLAE . MARIAE
QVO . NOSTRIS . OCVLIS . EREPTVS . EST
IOSEPHVS . MASSANI . AN. P. M. LXV.
PARENS . OPTATISSIMVS
TIBI . ORIENTE . TIBI . DECEDENTE . DIE
PACEM . CHRISTI
ADPRECABIMVR *

---

* Romae in monumento domestico ad perennandam memoriam parentis.

XLVII.

HEIC . COMPOSITA . EST
MARIA . IOSEPHA . VXOR . PHILIPPI . CORSETTI
MORVM . SVAVITATE . PIETATE . ERGA . MAGNAM . DEI . PARENTEM
CVIVS . IN . SACRARIO . CONDI . VOLVIT
CVRA . FILIORVM . BENEFICENTIA . IN . PAVPERES
LAVDES . OMNIVM . PROMERITA
DIVTVRNI . VIM . MORBI . FORTITER . PERPESSA
DECESSIT . XI. KAL. MAIAS . AN. MDCCCLVI.
ANNVM . AGENS . XXXV. TANTVM
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

---

* Velitris in aede principe.

XLVIII.

A ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
CVM . GEMINIS . INFANTVLIS
ALOISIO . DIER. XVIII. ALOISIO . MENS. VIII. DIER. XXII.
CLOTILDES
VXSOR . FRANCISCI . TARQVINI . I. C.
INGENIO . MITISSIMO
VIRI . DELICIVM . ET . DECVS
EXIMIA . IN . PAVPERES . CARITATE
DECESSIT . EXITV . SVAVISSIMO . III. KAL. NOV. AN. MDCCCLVI.
ANNOS . NATA . XXVI. TANTVM
FRANCISCVS
CONIVGE . CONCORDISSIMA . ET . FILIIS . ORBATVS
CVM . LACRVMIS
P. *

---

* Viterbii ad s. Iacobi.

XLIX.

HEIC . EXSVVIAS . SVAS . POSVIT
ALBINA . MAESTRINI
VIRGO
PIA . COMIS . PVDICA
QVAE . VT . SORORI . DEPOSITAE . ADESSET
HVC . EX . VMBRIA . ADVOLARAT
EAMQVE . VICARIA . MORTE . REDEMIT
PARENTES . CONTRA . VOTVM . POSVERE
FILIAE . INNOCENTISSIMAE . QVAE . VIXIT . AN. XXVI. TANTVM
AVE . MARGARITVM . NOSTRVM
ET . VALE . IN . PACE *

---

* Pisauri.

L.

DEO
VNI . TRINO . AETERNO
CVIVS . PERPETVO . RES . CHRISTIANA . MAGISTERIO
ET . DVCTV . REGITVR
QVOD . EIVS . AFFLATV . ET . NVMINE
PIVS . IX.
MAXIMVS . SACRORVM . ANTISTES
SECVNDVM . ORBIS . CATHOLICI . VOTA
MARIAM
SANCTAM . DEI . PARENTEM
LABIS . AB . ORIGINE . EXPERTEM
EDIXIT
VOTA . SOLEMNI . RITV
L. M. EXSOLVIMVS

LI.

SEDENTE . PIO . IX. P. M.
PIVS . GRAZIOLI . DVX . MANLIANENS.
FORNICEM . ET . SCALAS
NOVIS . OPERIBVS . INSTAVRAVIT
PARIETES . EFFIGIE . CHRISTI . SERVATORIS . ET . MAGNAE . MATRIS
A . PETRO . GAGLIARDI . DEPICTA
ORNAVIT
ANNO . MDCCCLIV. *

LII.

HOC . SIGNVM
MAGNAE . MATRIS . GREMIO . FOVENTIS
PVERVLVM . IESVM
FRANCISCVS . A . NVCE . STATVIT
VT . PRAESIDIVM . FORET
DOMVI . VNIVERSAE
AN. R. S. MDCCCLV. **

---

* Romae in aedibus s. Eusebii.
** Romae in sacrario domestico.

LIII.

S. ALOISII . PATRONI . CAELESTIS . SALVTARIS
HOSPITA . CONCLAVIA
RESTAVRATA . A. M. DCCC. LV. *

LIV.

AGE . SVPPLEX . INGREDERE
HEIC . ANTE . MAGNAE . DEI . PARENTIS . ARAM
S. ALOISIVS . VOTA . RELIGIOSA . CONCEPIT **

---

* In collegio romano.
** Inibi.

LV.

D. N. PIO . IX.
AMPLIFICATORI . RELIGIONIS
CVIVS . MVNIFICENTIA . AEDES . AD . PONTEM . IANICVLI
SOCIETATI . MISSIONVM . ATTRIBVTAE
VT . SACERDOTIBVS . SENIO . MORBOQVE . ATTRITIS
ADESSET
MONVMENTVM . GRATI . ANIMI
CONSTITVTVM . AN. MDCCCLV. *

LVI.

VINCENTIO . PALLOTTI
SOCIETAS . MISSIONVM
PARENTI . SANCTISSIMO
AN. MDCCCLV. **

---

* Sub signo.
** Sub signo.

LVII.

XV. KAL. IVNIAS
AN. CH. M. DCCC. LV.
D. N. PIVS . IX. P. M. EX . ARCE . GANDVLFI
VELITRAS . SECVNDVM . VOTA . CIVIVM . PROFECTVS
TEMPLO . PRINCIPE . MAGNAM . DEI . PARENTEM
SVPPLICANDI . ERGO . ADITO
IN . COLLEGIVM . SOCIETATIS . IESV . DIVERTENS
SACRO . SODALIVM . MARIALIVM . CONCLAVI
SVCCESSIT
VBI . ADMISSIONE . ET . ADLOQVIO . OMNES . ORDINES . DIGNATVS
ET . FAVSTA . A . DEO . RITE . CONFERTISSIMAE . MVLTITVDINI
PRECATVS
INTER . ADCLAMANTIVM . VOTA
DIGRESSVS . EST *

---

* Velitris in collegio societatis Iesu.

LVIII.

ALEXANDER . DE . DOMINICIS
FRONTEM . TEMPLI . INSTAVRAVIT
AN. M. DCCC. LV. *

LIX.

DEO . AETERNO
IN . HONOREM . MAGNAE . DEI . MATRIS . AB . ORIGINE . IMMACVLATAE
SS. ROCHI . ET . ISIDORI . AGRICOLAE
VOTO . SVSCEPTO . OB . LVEM . ASIANAM . DEPVLSAM
STEPHANVS . SCERRA . ARCHIEP. ANCYR.
A . FVNDAMENTIS . EREXIT
AN. CHR. MDCCCLVI. **

---

* Balneoregii in fronte aedis sacrae s. Francisci.
** Prope Viterbium ad balnea.

LX.

PIO . IX. PONT. MAX.
AMPLIFICATORI . NOMINIS . CHRISTIANI
CVSTODI . VIRTVTIS . PVBLICAE
CVIVS . PROVIDENTIA . ET . AVSPICIIS
INGENIA . VIGENT
DISCIPLINAE . BONAEQVE . ARTES
FAVSTIS . INCREMENTIS . ADOLESCVNT
PHILIPPVS . DORIA . DYNASTA
DOMINO . INDVLGENTISSIMO
QVOD . AEDES . COLLEGII . S. AGNES . AD . CIRC. AGON.
PRAESENTIA . BEAVIT
XII. KAL. FEBR. AN. M. DCCC. LVI.

LXI.

MARIA
LVX . NOSTRA . ET . ANIMA
ASPICE . NOS . HOC . TANTVM
TVO . ERIMVS . ADRISV . BEATI *

LXII.

MARIAE
LABIS . NESCIAE . CVSTODI . CANDORIS
PRAESTITI . HVIVS . ATHENAEI
ACADEMIA . THEOLOGORVM
LIBENS . MERITO . POSVIT
A. MDCCCXLVII. **

---

* Titulus inscriptus tabulae Magnae Dei Parentis.
** Sub icone.

LXIII.

MAGNAE . MATRI
O . DECVS . O . DOCTAE . PRAESENS . TVTELA . PALAESTRAE
HANC . SPEM . PICENTVM . NVMINE . AMICA . FOVE
TE . CVSTODE . PVDOR . PIETAS . ET . VIVIDVS . ARDOR
GLISCIT . ET . INGENIIS . VENA . VIGORQVE . REDIT *

LXIV.

AGE . AGE
ALOISI
FLORE . PVDICITIAE . CELEBER
AD . REGIAM . CAELI . ADVOLA
FRONTEM . AETERNO . DIADEMATE
CINCTVRVS **

* Item in collegio Lauretano.
** In iconem s. Aloisii sese attollentis in caelum.

LXV.

ALOISI
DEDVCTVM . CARMEN . TIBI . PARTHENIS . ATTICA . LVDIT
DEXTER . ADES . VIRES . SVFFICE . PLVRA . FERES *

LXVI.

OCELLI . PVDICISSIMI
SAT . LACRVMIS
DEI . VVLTVM . RENIDENTES . DISCITE **

---

* Laureti in coetum Partheniorum laudes s. Aloisii carminibus prosequentem.

** In oculos s. Aloisii.

LXVII.

ALOISIO
CAELESTI . PATRONO
TVTORI . PRAESENTISSIMO . IVVENTVTIS
DIVE . TIBI . FLORES . VARIA . EST . LICET . INTEGRA . FORMA
IDEM . HOS . LEGIT . AMOR . FOVERAT . VNVS . AMOR *

LXVIII.

MACTE . ANIMO
MACTE . NOVA . VIRTVTE
ET . FELICIBVS . AVSIS
PATER . ET . PRINCEPS . CARTHAGINIS
TE . DVCE . VICTA . MANVS . AFRIS . DEDIT . AEMVLA . ROMA
ET . PVLSANS . HAVSIT . CORDA . LATINA . PAVOR **

---

* Inscripta arae s. Aloisii floribus redimitae.
** In tropaeum Hannibalis.

LXIX.

MEMORIAE . ET . QVIETI
IACOBI . IOSEPHI . F. DE . ANGELINIS . ROTA
PATRICIA . NOBILITATE
QVI . IVRIS . SCIENTIAM . PIETATE . CVMVLAVIT
FLORENTI . AETATE . VRBIBVS . PRAETORIA . POTESTATE . PRAEFVIT
PRAESES . COLLEGIO . IVDICVM . LITIBVS . DIRIMENDIS
PROVINCIAM . MARITIMAM . ET . CAMPANAM . VICARIA . POTESTATE
ADMINISTRAVIT
IIIVIR . ANNONAE . REGENDAE . PROVINCIAE . VITERBIENSIS
MVNERIBVS . SANCTE . INTEGREQVE . PERFVNCTVS
IN . SPLENDIDISSIM. ORDINEM . INTERAMNATEM . NARTIVM
CVM . LIBERIS . ET . POSTERIS . ADLECTVS
EXITV . PLACIDISSIMO . AD . SVPEROS . EVOLAVIT
PRID. IDVS . IVNIAS . A. MDCCCXLIV. ANN. NATVS . LXXVI.
AVE . PARENS . PIENTISSIME . ET . VALE . IN . PACE
NVLLA . DIES . TE . NOSTRO . EX . ANIMO . EXIMET
CAMILLVS . EQVES . PRAETOR . PONTIFICIVS
ANTONIVS . E . SOC. IESV
NICOLAVS . E . SOC. IESV
FILII . MOERENTES . PATRI . PLVS . DE . SE . MERITO . QVAM
TITVLO . SCRIBI . QVEAT
EFFVSI . IN . LACRVMAS . POSVERE *

---

* Viterbii ad s. Theresiae in cella D. N. Mariae Lauretanae.

LXX.

AN. MDCCCLVII.
ALOISIO . AIROLDI
INFANTI . FESTIVO . VENVSTISSIMO
DELICIO . DOMVS
QVI . VIX. AN. III. MENS. V. DIES VIII.
FRANCISCVS . ET . HELENA
PARENTES
P.
AVE . MARGARITVM . NOSTRVM
ET . VIVE . IN . CHRISTO

LXXI.

CAIETANO . RODILOSSI
PONTIFICI . ALETRINO
ICVNCVLAM
PHILIPPI . NERII . CONDITORIS
EX . TABVLA . GAGLIARDIANA
EXPRESSAM
SODALES . PHILIPPIANI
AN. MDCCCLVII. *

---

* Sub icuncula.

LXXII.

IV. EIDVS . APRILES
ANNI . M. DCCC. L.
D. N. PIVS . IX. PONT. MAX.
E . REGNO . NEAPOLIT. VBI . BIENNIVM
TEMPORVM . INIVRIA . COMMORATVS . EST
AVGVSTAM . HONORIS . SVI . SEDEM . REPETENS
VRBEM . NOSTRAM
ADVENTV . OPTATISSIMO . BEAVIT
TEMPLVM . PRINCEPS . ADIIT
POPVLOQVE . BENE . PRECATVS
COEPTVM . ITER . ROMAM . VERSVS
PROSEQVVTVS . EST
SECVNDISSIMA . MVLTITVDINIS . ADCLAMATIONE *

---

* Tolerii (Valmontone) in aede principe.

LXXIII.

PHILIPPO . DE . CESARIS
PRAEFECTO . MVNICIPII . ITERVM
QVOD . PLEBI . DIFFICVLTATE . ANNONAE . LABORANTI
OPITVLATVS
NOCTVRNAE . CIVIVM . SECVRITATI
DISPOSITIS . PER . VRBEM . LYCHNVCHIS
CONSVLVERIT
VETVSTISSIMAE . ARCIS . AREAM
EGESTA . HVMO . AEQVATAM
LORICIS . AMBIERIT
AMOENIORIQVE . CVLTV . EXORNARIT
ORDO . POPVLVSQVE . ALETRINAS
CIVI . OPTIME . DE . PATRIA . MERITO
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLVII. *

---

* Aletrii in aula Seminarii.

LXXIV.

PRINCIPI . SERENISSIMAE
ANNAE . A . IESV . ET . MARIA
INFANTI . LVSITANIAE
IOANNIS . VI. REGIS . FILIAE
CONIVGI . IOSEPHI . MARCHIONIS . DE . MENDOZA
PACEM . AEVI . BEATI
ADPRECATVS
IVSTA . FVNEBRIA . PERSOLVIT
PETRVS . AVGVSTVS . FILIVS *

---

* Romae in fronte aedis Lusitanorum s. Antonii.

LXXV.

REGVM . LVSITANIAE . GENVS
ANNA . A . IESV . ET . MARIA
GLORIAM . A . MAIORIBVS . ACCEPTAM
SVA . AVXIT . VIRTVTE
FILIOS . HORTATV . ET . EXEMPLIS
AD . RELIGIONEM . PIETATEMQVE . INSTITVIT
NEC . SECVNDIS . ELATA . NEC . ADVERSIS . FRACTA
AETERNA . SPECTAVIT . HVMANA . CONTEMPSIT
ROMAE . QVO . VALETVDINIS . CAVSA . COMMIGRARAT
DECESSIT . XI. KAL. IVL. AN. MDCCCLVII.
ANNOS . NATA . L. MENS. VII.
TE . IN . PACE . CHRISTVS *

* In mole funebri.

LXXVI.

AN. MDCCCLIV.
ANDREAS . BELLAVITE
CVM . THERESIA . CONIVGE
POSVERE
PAVLINAE . INFANTVLAE
SCITVLAE . BLANDE . ADRIDENTI
QVAE . VIX. AN. I. MENS. X. D. V.
AVE . LVX . NOSTRA
ET . VIVE . MEMOR . PARENTVM
QVI . TE . PLVS . OCVLIS . NOSTRIS
AMAVIMVS

LXXVII.

QVOD . DOMINIS . RVRIS . ET . ADVENIS . BENEVERTAT
ANNO . CHRISTIANO . MDCCCLVII.
HORTI . AD . TIBERIM . IN . FLAMINIA . VIA . COEMPTI
SOLVM . PRAVE . SVBSIDENS . ERECTVM
SPATIA . AD . APRICANDVM . PROLATA
ARBORES . AD . XYSTOS . OPACANDOS . CONSITAE
SEMITAE . RECLVSAE . EXPLICATAE . GLAREAQVE . STRATAE
AQVAE . IN . SCATEBRAS . RIVOSQVE . ADDVCTAE
MARMOREAE . EXEDRAE . HAC . ILLAC . CONSTITVTAE
AEDES . NOVIS . OPERIBVS . LAXATAE . EXCVLTAE
HOSPES . ACCEDE
NIHIL . HOC . SVBVRBANO . ALSIVS
NIHIL . AMOENIVS
QVOVIS . AMBVLATO . VBIVIS . QVIESCITO
QVIDLIBET . LVSTRATO
VALETO . SALVVSQVE . ABITO *

---

* Prope Urbem.

LXXVIII.

A ☧ Ω

HEIC . CONDITA . EST
FRANCISCA . IOAN. BAPT. PELLEGRINI . F.
VXSOR . CAIETANI . BARBETTA
RELIGIONE . ET . PIETATE . INSIGNIS
QVAE . AB . EVPHEMIA . AMITA
VIRGINE . EXIMIAE . VIRTVTIS . INSTITVTA
EIVS . PRAECEPTA . MORIBVS . SANCTISSIMIS . EXPRESSIT
IMPROVISO . EXITV . AT . NON . IMPARATA
OBIIT . V. KAL. IVNIAS . AN. MDCCCLVII.
ANNOS . NATA . LXX.
VIVAS . IN . CHRISTO *

* Velitris in aede D. N. Jesu Servatoris.

LXXIX.

A ☧ Ω

AN. MDCCCLVII.
ILLVCESCENTE . DIE . SOLEMNI . PASCHATIS
CAELESTIVM . CHORVS
OBVIVS . OCCVRRIT
TVLLIOLAE . VELASCO
INFANTVLAE . VENVSTISSIMAE
QVAE . VIXIT . AN. II. MENS. V. DIES VI.
PETRVS . EQ. ET . ISABELLA
POSVERE
FILIOLAE . SVAVISSIMAE
ADDITAE . CONCILIO . BEATORVM *

---

* Matriti.

LXXX.

DECRETUM.

VIII. EIDVS . NOVEMBR. A. R. S. M. DCCC. LIIII.
VELITRIS . IN . CVRIA . PRIMORIBVS . SENATVM . HABENTIBVS.

QVOD . VERBA . FACTA . SVNT . DE . SINGVLARIBVS . ET . IN . DIES AMPLIORIBVS . ERGA . CIVITATEM . NOSTRAM . MAGNAE . DEI PARENTIS . CVI . A . GRATIIS . NOMEN . BENEFACTIS . DE . AVITA IN . EAM . PIETATE . PROVEHENDA . STVDIIQ. NOSTRI . SIGNIFICATIONIBVS . EDENDIS . DE . EA . RE . ITA . CENSVERVNT.

QVVM . CIVITAS . NOSTRA . IN . FIDE . ET . TVTELA . SIT . MAGNAE MATRIS . QVAE . VOCATA . SEMPER . AVDIIT . LAETOS . AD EXITVS . VOTA . CONCEPTA . PERDVXIT . MVNICIPES . NOSTROS AB . IMPENDENTIBVS . CALAMITATIBVS . SOSPITAVIT.

QVVM . IMBRES . PRAERVPTOS . AQVARVMQVE . AGMINA . DILVENTIA MESSES . ET . SATA . COHIBVERIT.

NIMBOS . GRANDINEM . ET . FVLGVRA . AGENTES . DISPVLERIT. HIVLCA . ET . ARENTIA . ARVA . TEMPESTIVIS . PLVVIIS TEMPERARIT . TERRAM . MOTIBVS . INSOLITIS . CONCVSSAM SOLVMQVE . SVBSILIENS . FIRMARIT . ASIANAM . LVEM . ANN. MDCCCXXXVII. ET . MDCCCLIV. ITALICAS . ORAS . FOEDE . DEPOPVLANTEM . ET . PER . VRBES . ET . OPPIDA . CITIMA GRASSANTEM . A . CIVITATE . N. AVERRVNCARIT . ARMORVM TVMVLTVS . COMPRESSERIT . ET . HOSTIVM . TVRMAS . FERRVM FLAMMAS . DIREPTIONEM . INTENTANTES . NOSTRIS . E . MOENIBVS . AVERTERIT.

PLACERE . VNIVERSIS . VT . GRATIAE . IN . TRIDVVM . OPIFERAE VIRGINI . RITE . PERSOLVANTVR . HISTORIAE . TOT . BENEFACTA . CONSIGNENTVR . EAQVE . A . SODALI . SOCIETATIS IESV . HANC . IN . VRBEM . ACCITAE . PERSCRIPTA . IN . VVLGVS . EDATVR.

VTIQVE . DECRETVM . HOC . IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERATVR SAXSOQVE . INCISVM . CONSPECTISSIMO . IN . LOCO . BASILICAE S. CLEMENT. FIGATVR . QVO . AD . POSTEROS . OFFICII . GRATIQ. ANIMI . IN . MAGNAM . DEI . PARENTEM . MEMORIA PERENNET CENSVERVNT.

BALTHASAR . COMES . NEGRONI . EQ. MVNICIPIO . PRAEFECTVS

EVGENIVS . PROSPERI IOANNES . COMPARETTI IOANNES . PAVLVS . CASCAPERA FRANCISCVS . ARINGÀ VIRGINIVS . MACIOTTI ANTONIVS . BARBETTA . E . COLL. CANONIC.	DECVRIONES

LXXXI.

ALOISIO GONZAGAE

VIOLAE OBTESTATIO.

SQUALLENS PALLIDULA AC NIGELLA VULTU
EN EGO GENITA EXEUNTE VERE,
VILIOR TULIPIS, MINOR LIGUSTRIS,
ACANTHO MINOR, OMNIBUSQUE CEDENS,
QUOT ALTE CAPUT EFFERUNT IN HORTIS
SUPERBI VARIO COLORE FLORES;
EN COMIS EGO NIGRICANS ET ORE,
QUAM TUIS CUPEREM VIDERI OCELLIS,
OBTUTUQUE SEMEL TUO BEARI!
NULLI COGNITA, SEPE SUB REDUCTA
SUCCREVI LATITANS; DECUS PUDORIS
NULLUS PRAERIPUIT, MEAM NEC ULLAE
AVENTES ANIMAM EBIBERE NARES.
ERGO VIRGINEAS, LICET NIGELLAS,
LICET PALLIDULAS TUERE FORMAS.
SIC TER, SIC QUATER, AMPLIUSQUE LAETAM
PRAESTAS, SIC MIHI SPIRITUM REDUCIS.
ERGO ME GEMINIS TUERE OCELLIS,
MEME LUMINIBUS BEA MISELLAM,
NE FESSUM MORIENS CAPUT RECLINEM,
NE CADAM NIMIO DOLORE VICTA.

LXXXII.

HIERONYMO BULLAE

DOMO PLACENTIA
E COLLEGIO CANONICORUM AEDIS PRINCIPIS
ORATORI DISERTISSIMO.

UT FLUVIUS, VERNI QUEM IMBRES ALUERE, SECUNDO
DECURRENS AVIDOS AGMINE LAMBIT AGROS;
HINC SPES AGRICOLIS, HINC FOETU EXUBERAT ARBOS,
HINC CERTO FRUGES FOENORE REDDIT HUMUS;
TALE TUUM, BULLA, ELOQUIUM; NON SEGNIUS AMNE
INGENIUM ET FANDI VENA LEPORQUE FLUIT.
PLEBS HUMERIS TE DENSA STUPET; DICENTIS AB ORE
PENDET, ET AETHEREOS EBIBIT AURE SONOS.
DULCIOR AMBROSIAE LACRYMIS PER PECTORA SERMO
SERPIT, ET INVITAS IRRIGAT IMBRE GENAS.
SI DECUS AUSONIAE SUPERAS REMEARET IN AURAS
TULLIUS, ET SACRIS SOLVERET ORA MODIS,
NON ALIA INVERSOS MORES, PULSUMQUE PUDOREM
FLERET, ET INFERNAS PINGERET ARTE DOMOS.
CRIMINIS EXPERTES ANIMOS SIC FERRET AD ASTRA,
CAELICOLUMQUE ALMIS COETIBUS INSERERET.
TE MOTU, TE OCULIS, PLENA TE VOCE REFERRET,
PAR LAUS ELOQUII, FORMA, VENUSQUE FORENT.

LXXXIII.

IOSEPHO FRANCHINI

IN IURISPERITORUM ALBUM RELATO IN ATHENAEO MUTINENSI.

O PRAESTANS ANIMI IUVENIS, CUI IUNCTA PUDORI
PULCRIOR INNOCUO RIDET IN ORE VENVS,
DUM STUDIIS EMENSA TUIS DATA META LABORUM
TANGITUR, ET FRONTEM LAUREA SERTA PREMUNT,
NE MEA NE QUAESO RENUAS MUNUSCULA, SAEPE
FLORE SUB EXIGUO SPICULA CELAT AMOR.

LXXXIV.

PRAESULI LUDUM LITTERARIUM INVISENTI.

VIDISTI LAETO RIDENTES GERMINE FLORES,
CUM SOL AURATO LUMINE VESTIT AGROS,
UT TOLLANT SUBLIME CAPUT, DUCANTQUE COLOREM,
UT VOLITANS PICTAS MULCEAT AURA COMAS;
HAEC FACIES, HAEC EST PUERILIS IMAGO PALAESTRAE,
CUM DATUR ALLOQUIO PATRIS ET ORE FRUI.

LXXXV.

S. P. Q. V.

FASTOS PONTIFICVM MAXIMORVM
QVI VRBIVENTVM ADIERVNT
IN ADVENTV AVSPICATISSIMO
D. N. PII IX.
DESCRIBENDOS PVBLICANDOSQVE
CVRAVIT.

SAECVLVM X.

ANNO REPARATAE SALVTIS DCCCCXVI.

IOANNES X., QVVM SARACENI APPVLOS CALABROS CAMPANOSQVE FINES POPVLATI ROMAE IMMINERENT, VRBIVENTVM SE RECEPIT. IOANNE AVCTORE EXERCITVS COMPARATVS, INQVE SARACENOS IMMISSVS, QVI AD LIRIM CAESI FVGATI CAPTI.

ANNO DCCCCLXXVII.

BENEDICTVS VII. VRBIVENTVM PETIIT. AEDES SOLIANAS ROMANIS PONTIFICIBVS HOSPITANDIS AB INCHOATO EXCITAVIT.

ANNO M.

SILVESTER II., INFESTA GRAECORVM MANV CAMPANAS ORAS DIRIPIENTE, VRBIVENTVM CONFVGIT. LEGES ET STATVTA IVDICIIS APVD NOS HABENDIS EDIXIT.

SAECVLVM XI.

ANNO MIIII.

IOANNES XVIII. VRBIVENTVM CONCESSIT. AEDEM IOANNIS EVANGELISTAE A FVNDAMENTIS EREXIT, EAMQVE MONACHIS S. BENEDICTI PATRIS ADTRIBVIT.

ANNO MXIII.

BENEDICTVS VIII. VRBIVENTI AGENS LYCEVM CONSTITVIT AMPLISSIMIS HENRICI AVGVSTI DIPLOMATIBVS HONESTATVM. AEDEM ANDREAE APOSTOLI DEDICAVIT.

ANNO MXXXIV.

BENEDICTVS IX. FVGAM ROMA CAPESSENS VRBIVENTI DIV CONSEDIT. TEMPLA S. MARIAE DEI PARENTIS AD AEDES PONTIFICALES, ET TRINITATIS AVGVSTAE EXTRA POMOERIVM EXSTRVXIT.

ANNO MXLVI.

GREGORIVS VI. REM ROMANAM TVRBANTE HENRICO III., VRBIVENTVM SE RECEPIT.

ANNO MLXXXIII.

S. GREGORIVS VII. SVANENSIS E GENTE ILDEBRANDESCA IN CIVITATEM NOSTRAM ADSCITA, QVVM ASTV ET ARMIS HENRICI IV. PETERETVR, VRBIVENTVM COMMIGRAVIT. MONASTERIVM QVOD E GREGORII MAGNI NOMINE GREGORIANVM DIXIT, CONDIDIT. QVA CLANIS IN PALTAS INFLVIT, PONTEM SECTO LAPIDE EXSTRVXIT. IVRA PONTIFICI NOSTRO IN ACVLANOS TRIBVIT.

ANNO MLXXXXII.

VRBANVS II., QVO AVCTORE EXERCITVS CRVCE ORNATVS AD PALAESTINAM RECVPERANDAM IMMISSVS EST, VRBIVENTVM SECESSIT, ROMANIS STVDENTIBVS GVIBERTO, QVI IN PONTIFICATVM MAXIMVM INVASERAT. AQVAM E PROXIMIS MONTIBVS IN VRBEM NOSTRAM INDVXIT.

SAECVLVM XII.

ANNO MCII.

PASCHALIS II. QVI CONCILIIS ACTIS CAVIT, NE CLERICIS SACRI HONORIS INSIGNIA A LAICIS CONFERRENTVR, VRBIVENTVM PETIIT. AEDES PONTIFICALES DIAETIS ET CONCLAVIBVS ADIECTIS LAXAVIT EXCOLVIT.

ANNO MCLIV-VI.

HADRIANVS IV. VRBIVENTANOS QVI GHIBELLINARVM PARTIVM STVDIO A ROMANIS PONTIFICIBVS DESCIVERANT, AD OFFICIVM PRAESENTIA SVA REVOCAVIT AN. MCLIV. BIENNIO POST REVERSVS AEDES PRAEFECTO MVNICIPII NOSTRI EXCITAVIT. EQVITES SACRI LATERIS PROTECTORES E PRIMORIBVS CIVITATIS ELEGIT. VRBIVENTVM INSIGNI CLAVIVM ORNAVIT APPOSITO TITVLO FORTIS ET FIDELIS.

ANNO MCLX.

ALEXANDER III. QVEM OCTAVIANVS ARMIS AVGVSTI FRETVS DE SVMMA POTESTATE DEIICERE CONABATVR, ROMAM VRBIVENTO MVTAVIT, CIVITATIS FIDEM PRIVILEGIIS MVNERATVS EST, EIQVE FINES PROVINCIAE TVTANDOS COMMISIT.

ANNO MCLXXXXIII.

CAELESTINO III. APVD VRBIVENTANOS AGENTE, STVDIA BONARVM ARTIVM INSTAVRATA.

SAECVLVM XIII.

ANNO MCCXV.

INNOCENTIVS III. QVO AVCTORE ET VINDICE DISCIPLINA ECCLESIAE REFLORVIT, ERRORVM SEMINA PRAEFOCATA, AVXILIARES COPIAE IN PALAESTINAM SVBMISSAE, VRBIVENTI DIVERSATVS EST. IVRA IN SVANAM ET CLVSIVM CIVITATI NOSTRAE ADSERVIT. PACIS SEQVESTER TVDERTES VRBIVENTANIS CONCILIAVIT.

ANNO MCCXVII.

HONORIVM III. VRBIVENTI CONVENIT DOMINICVS PATER, EIQVE SVI ORDINIS PRIMORDIA COMMENDAVIT. HONORIVS PETRO PARENTIO PRAETORI NOSTRAE CIVITATIS MANV MANICHEORVM PEREMPTO CAELITVM HONORES DECREVIT. GVIDONEM BISENTIVM CIVEM NOSTRVM IN COLLEGIVM CARDINALIVM COOPTAVIT.

ANNO MCCXXVIII.

GREGORIVS IX. ASISIO, VBI CAELESTIVM NVMERO SOLLEMNI RITV INSCRIPSERAT FRANCISCVM PATREM, VRBIVENTVM DIVERTIT. EQVESTRIS ORDINIS INSIGNIA PRIMORIBVS CIVITATIS CONTVLIT. REBVS NOVIS STVDENTES VERTERE SOLVM IVSSIT, ODIA CIVILIA RECRVDESCENTIA RESTINXIT.

ANNO MCCXLV.

ALEXANDER IV. VRBIVENTVM ACCEDENS PRAETORIANAS AEDES INIVRIA TEMPORVM LABEFACTATAS INSTAVRAVIT. MONALDESCHIVM ET MEDICEVM CIVES, ALTERVM IN POPVLI ROMANI SENATVM ADSCIVIT, ALTERVM PONTIFICIS MAIORIS DIGNITATE AVCTVM AD GRAECOS LEGATVM MISIT.

ANNO MCCLXIV.

VRBANVS IV. CAMPANAS ORAS MISCENTE MANFREDIO, VRBIVENTVM SE RECEPIT. VVLSINIO AD LACVM LINTEAMINA SACRA CHRISTI DOMINI CRVORE INSPERSA IN VRBEM NOSTRAM SOLLEMNI POMPA DEDVXIT. HEIC VRBANI DECRETO DIES FESTVS PRIMITVS INSTITVTVS, QVO AVGVSTVM CHRISTI CORPVS VICATIM CIRCVMFERTVR. S. THOMAS VRBIVENTI AGENS MANDATO VRBANI PONTIFICIS PRECATIONES SACRAS A SACERDOTIBVS HAC DIE PERSOLVENDAS PERSCRIPSIT. AEDES SS. FRANCISCI ET DOMINICI AB VRBANO INSTAVRATAE, S. AVGVSTINI A SOLO ERECTA.

ANNO MCCLXV.

CLEMENS IV. PERVSIO, QVA IN VRBE AD SVMMVM REI CHRISTIANAE MAGISTERIVM FVERAT EVECTVS, VITERBIVM CONTENDENS, VRBIVENTVM ADIIT. ANNO INSEQVENTI REGRESSVS FRANCISCI PATRIS AEDEM SOLLEMNIBVS CAEREMONIIS DEDICAVIT. MONALDESCHII CIVIS NOSTRI OPERA AD SEDANDOS IN CITIMIS OPPIDIS GHIBELLINORVM MOTVS VSVS EST.

ANNO MCCLXXII-III.

B. GREGORIVS X. CAROLO REGE SICILIAE COMITATVS VRBIVENTVM PETIIT. HEIC ROGATV EDVARDI ANGLORVM REGIS FILII LEGE EGIT IN REOS CAEDIS VITERBII INLATAE HENRICO. CONCILIVM LVGDVNENSE INDIXIT, ET BONAVENTVRAM BALNEOREGIENSEM IN PATRVM CARDINALIVM COLLEGIVM ADLEGIT.

ANNO MCCLXXX.

NICOLAVS III. VRBIVENTI LEGES TVLIT IN MANICHEOS NON VNO NOMINE RENASCENTES. CIVITATI NOSTRAE PRAEFECIT BERTHOLDVM VRSINIVM FRATRIS FILIVM.

ANNO MCCLXXXI.

MARTINVS IV. VRBIVENTI SOLLEMNIBVS CAEREMONIIS DIE FESTO PASCHATIS PONTIFICATVS MAXIMI INSIGNIA SVMPSIT. HEIC EVM CONVENIT CAROLVS REX. A SACRIS REMOVIT MICHAELEM AVGVSTVM, QVOD GRAECORVM DISSIDIA FOVERET. SACRORVM INTERDICTIONE PETRVM ARAGONIVM ET CAROLVM A CERTAMINE SINGVLARI DETERRVIT.

ANNO MCCLXXXVII.

QVO COMMODIOR PERVSIO VRBIVENTVM ACCESSVS FORET HONORIO IV., PONS SECTIS LAPIDIBVS CONSTRVCTVS, VIAQVE PRAVE SVBSIDENS AEQVATA.

ANNO MCCLXXXX.

NICOLAVS IV. PVBLICIS PRIVILEGIORVM LITTERIS VRBIVENTO DATIS ACADEMIAM VLISSIPONENSEM HONESTAVIT. RITV SOLLEMNI LAPIDEM SACRVM AVSPICALEM AEDIS PRINCIPIS IECIT.

ANNO MCCLXXXXVII.

BONIFACIVS VIII. CAELESTES HONORES LVDOVICO IX. VRBIVENTI AD S. FRANCISCI ADTRIBVIT. TEMPLI MAXIMI MOLITIONEM M. NVM. AVR. IVVIT, IN ALTARI OPERIS DVRATEI SACRVM FECIT. THEODORICVM RANIERVM CIVEM NOSTRVM INTER PATRES CARDINALES CONSCRIPSIT.

SAECVLVM XIV.

ANNO MCCCLXVII.

VRBANVS V. CIVIVM ROGATV VRBIVENTVM ACCESSIT, CIVITATEM ET CITIMA OPPIDA IN FIDEM RECEPIT, SVBVRBANVM AD AESTVM VITANDVM EXSTRVXIT.

SAECVLVM XV.

ANNO MCCCCXX.

MARTINVS V. E GALLIA ROMAM PETENS VRBIVENTVM DIGRESSVS ODIA CIVILIA CONSOPIVIT. METVM BRACCII FEROCIENTIS A CIVIBVS AVERTIT.

ANNO MCCCCL.

NICOLAVS V. VRBIVENTI EDIXIT, NE CHRISTIANI OPEM TVRCIS FERRENT. VRBEM NOSTRAM ARCE VALLOQVE MVNIVIT.

ANNO MCCCCLIX.

PIVS II. AD CONVENTVM MANTVAE INDICTVM DIGREDIENS VRBIVENTI SVBSTITIT. MONALDESCHIVM CIVITATI DVRIVS IMPERITANTEM MVNERE ABIRE IVSSIT. MENSAE PIGNORATITIAE IN EGENTIVM SOLATIVM LATIS LEGIBVS CONSVLVIT.

ANNO MCCCCXCV.

ALEXANDER VI. SIBI A CAROLO VIII. ROMAE METVENS VRBIVENTVM SE RECEPIT, EODEM PATRES CARDINALES CONVENERE.

SAECVLVM XVI.

ANNO MDVI.

IVLIVS II. VRBIVENTVM ADIIT. PONTEM AD PALTAS EXSTRVXIT, DEQVE SVO NOMINE IVLIVM DIXIT.

ANNO MDXV.

LEO X. BONONIAM AD CONCORDIAM CVM FRANCISCO I. GALLIARVM REGE FIRMANDAM CONTENDENS VRBIVENTI COMMORATVS EST, IVRA IN PROPINQVA OPPIDA CIVITATI ADSERVIT.

ANNO MDXXVII.

CLEMENS VII. VRBE OCCVPATA ET DIREPTA EX ARCIS CVSTODIA INCOLVMIS VRBIVENTVM EVASIT. PVTEVM INGENTI MOLIMINE IVSSIT EFFODI. VRBIVENTVM AD SACRA PATRVM CARDINALIVM COMITIA DESIGNAVIT.

ANNO MDXXXVII-XL.

PAVLVS III. E GENTE FARNESIA VRBIVENTANA AN. III. ET VI. PONTIFICATVS PATRIAM REVISIT. SVBSELLARIVM CANONICORVM E MEDIO TEMPLO AMOVIT, INQVE ABSIDE CONSTITVIT. PVTEAL MICHAELE MOSCHA ARCHITECTO ABSOLVIT.

SAECVLVM XIX.

ANNO MDCCCXLI.

GREGORIVS XVI. LAVRETO, QVO PIETATIS ERGA MAGNAM DEI PARENTEM CAVSSA PERREXERAT, REDVX VRBIVENTVM ADIIT. AEDIS PRINCIPIS FRONTEM OPERE MVSIVO INSTAVRATO EXCOLVIT. NOMEN ET IVRA PROVINCIAE CIVITATI RESTITVIT.

ANNO MDCCCLVII.

PIVS IX. LVSTRATIS VMBRIAE, PICENI, AEMILIAEQVE PROVINCIIS, QVO EVM REI PVBLICAE STVDIVM ADVOCARAT, EX ETRVRIA VRBEM NOSTRAM ADVENTV OPTATISSIMO BEAVIT. PII MVNIFICENTIA ARTIS ITALICAE VETVSTISSIMA MONVMENTA TEMPORVM INIVRIA PROPE DELETA IN AEDIS NOSTRAE PRINCIPIS PARIETIBVS REVIVISCVNT.

LXXXVI.

QVOD . BENE . ET . PROSPERE . VERTAT
HOSPITEM . MAGNVM
D. N. PIVM . IX.
ECCLESIA . VITERBIENSIS
CONSALVTAT
STATOREM . RELIGIONIS
AVSPICEM . FAVSTITATIS . PVBLICAE *

LXXXVII.

SALVE . PARENS . PVBLICE
TVTATOR . ET . AMPLIFICATOR
CHRISTIANI . NOMINIS
TEMPLVM . DECESSORVM . TVORVM
PRAESENTIA . ET . PRIVILEGIIS
HONESTATVM
TVO . ADVENTV . GAVDET **

* Viterbii in fronte aedis principis ob adventum Pii IX.
** Ibi in absidis fronte.

LXXXVIII.

PIO . IX. PONTIFICI . MAXIMO
OPTIMO . FELICI . AVGVSTO
S. P. Q. V.
AD . PERENNANDAM . MEMORIAM . AVSPICATISSIMI . ADVENTVS
AN. MDCCCLVII. *

LXXXIX.

SVCCEDE
PATER . ET . PRINCEPS
AMOR . POPVLORVM
TIBI
FAVSTA . OMNIA
A . DEO
ADPRECAMVR **

* Urbiventi in arcu marmoreo.

** Ronciliae in fronte aedis principis in adventu Pii IX. nonis septembribus an. MDCCCLVII.

XC.

IMAGINEM . HANC . MAGNAE . DEI . PARENTIS
LABIS . AB . ORIGINE . EXPERTIS
QVAE . PRODIGIIS . ET . CVLTV . ANTIQVO . INSIGNIS
V. KAL. IVN. AN. MDCCLXXX. IN . N. BASILICA . AQVIPENDIENSI
SOLLEMNI . RITV . A . CANON. VATIC. DIADEMATE . AVREO . REDIMITA . EST
PROSPERO . CATERINIO . PATRI . CARDINALI
CONSTANTINVS . BRAMINIVS . CAN. TH.
OFFERT
MVNICIPI . ET . PATRONO
CIVITATIS . N. *

---

* Sub icuncula.

XCI.

ALOISIO . GONZAGAE
CVSTODI . SANCTO . IVVENTVTIS
CVI . IN . HISCE . AEDIBVS
NATVRAE . ARCANA . ET . DOGMATVM . SACRORVM . ADYTA
PATVERVNT
ALOISIVS . SCATIZZI . EQVES
DISCEPTATIONEM . DE . PHILOSOPHIA . VNIVERSA
OFFERT . SEQVE . DEDICAT
PATRONO . CAELESTI . SALVTARI
CVIVS . IN . EODEM . AGONE . PRAECVRRENTIS
MODESTIAM . ET . INGENIVM
ROMA
DEMIRATA . EST *

---

* Titulus appositus libello thesium quae in collegio romano societatis Iesu adsertae sunt pridie kalendas septembres anni MDCCCLVII.

XCII.

Α ☧ Ω

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
ADELAIDES . PHILIPPI . ANTICI . MARCH. F.
VXSOR . MONALDI . LEOPARDI . COM.
RECTI . TENAX . IN . CONSILIIS . PRVDENS
ALTRIX . EGENORVM
MATERFAMILIAS . AD . EXEMPLVM . SEDVLA
PIA . VIXIT . AN. LXXIX.
DEC. POSTR. KAL. SEXSTIL. A. MDCCCLVII.
AD . MATREM . APPOSITVS . EST
PETRVS . AN. XXXVIII.
ET . VIRGINIA . NEPTIS . AN. XI.
AVETE . IN . CHRISTO *

---

* Recineti in Piceno.

XCIII.

A ☧ Ω

QVIETI . ET . MEMORIAE
MONALDI . IAC. F. LEOPARDI . COM.
VIRI . MVLTARVM . LITTERARVM
DE . RELIGIONE . DE . RE . PVBLICA
EGREGIE . PROMERITI
QVEM . PERPETVVM . VERITATIS . VINDICEM
EDITIS . IN . VVLGVS . SCRIPTIS
ITALIA . SVSPEXIT
DECES. PRID. KAL. MAIAS . A. MDCCCXLVII. AET. LXXI.
ADELAIDES . VXSOR
KAROLVS . PETRVS . PAVLINA . FILII
BENEMERENTI
P. *

* Recineti.

XCIV.

TRIVMPHVS DECRETVS.

ANNO MDCCCLVII. IDIBVS IANVARIIS
SENATVS HABITVS — PATRES CENSVERVNT

VT L. QVINTVS CASSIVS BELLO EGREGIE GESTO, PERDOMITIS TERRA MARIQVE CARTHAGINIENSIBVS, TRIVMPHVM AGAT.

VRBEM EXERCITVS LAVREATVS INEAT, EQVITES TVRMATIM, COHORTES PEDITVM SVIS QVAEQVE ORDINIBVS.

ANTE VICTORIS CVRRVM ASDRVBAL CVM LIBERIS, ET AMILCAR FRATER DVCIS IN CATENIS DVCANTVR.

SIGNA AVREA, ARGENTEA, EBVRNEA, TABVLAE PICTAE, ARMA DVCVM, TEXTILIA FERCVLIS IMPOSITA IN CAPITOLIVM INVEHANTVR.

GRATIAE DIIS AGANTVR. VICTIMAE MACTENTVR. EPVLVM MILITIBVS ET POPVLO INSTRVATVR. EPVLENTVR CVM CARMINE TRIVMPHALI ET LVDIS SOLLEMNIBVS.

PEDITIBVS DENARII SEPTVAGENI QVINI. CENTVRIONI DVPLEX, TRIPLEX EQVITI. CIVIBVS QVANTVM MILITIBVS.

GAZA CARTHAGINIENSIS, AVRVM ARGENTVMQVE CAELATVM IN AERARIVM DEPORTENTVR.

TVRBA CAPTIVA AD METALLA, OBSIDES IN CVSTODIAM DENTVR.

ASDRVBALEM IN CARCEREM CONDI PLACVIT. *

---

* In collegio romano. cum schola grammatices triumphum egit.

XCV.

OVATIO DECRETA.

ANNO MDCCCLVII. IDIBVS MARTIIS
SENATVS AD AEDEM BELLONAE CONVENIT.

MVLTIS VERBIS ACTVM EST, VTRVM TRIVMPHVS M. HELVIO AN OVATIO DECERNERETVR.

PATRIBVS VISVM EST, VT HELVIVS OVANS VRBEM INEAT.

CAVSSA NEGANDI TRIVMPHI SENATVI FVIT, QVOD ALIENO AVSPICIO PVGNATVM EST.

TRIBVNI PLEBIS EX AVCTORITATE SENATVS AD POPVLVM TVLERVNT, VT M. HELVIO QVO DIE VRBEM OVANS INIRET, IMPERIVM ESSET.

ARGENTI INFECTI IN AERARIVM INLATA QVATVORDECIM MILLIA PONDO SEPTINGENTA TRIGINTA DVO, ET SIGNATI SEPTEMDECIM MILLIA VIGINTI TRIA.

SOSIPATER ET MERVLVS CVM CORONIS AVREIS PROCESSERE, QVOD HOSTIVM OPPIDVM NOSTRIS MILITIBVS PRODIDERE, AMBOBVS QVINGENA IVGERA DATA.

MILITIBVS EX PRAEDA CENTVM VIGINTI ASSES DIVISI.

DE MANVBIIS FORNICES IN FORO BOARIO ANTE FORTVNAE AEDEM, ET MATRIS MATVTAE FACTI. HIS FORNICIBVS SIGNA AENEA IMPOSITA. *

---

* In collegio romano. cum altera classis grammatica ovationem egit.

XCVI.

GASPARI . BERNARDO . PIANETTI
PATRI . CARDINALI
PONTIFICI . VITERBIENSIVM
QVINQVAGESIMVM . SACERDOTII . ANNVM
IMPLENTI
ORDO . CANONICORVM
MVLTA . QVINQVENNIA
FELICITER

INDEX.

LIBER PRIMUS.

ORATIONES, COMMENTARIUS, EPISTOLAE, ELLOGIA.

LIBER SECUNDUS.

INSCRIPTIONES

SACRAE, HONORARIAE, HISTORICAE, FUNEBRES, POETICAE.

IN TITULIS IN ORDINEM DIGERENDIS ALII ALIAS INIVERE VIAS: HIC MIHI PRAE CETERIS CENSUS PROBATUR UTPOTE QUI ET PERSPICUITATI CONSULIT, ET CERTIS TITULOS CONCLUDIT LIMITIBUS, EOQUE CARET INCOMMODO, QUOD NULLA INSCRIPTIO SUOS EXTRA FINES EXCURRIT, AUT IN ALTERIUS SEDEM IRREPIT.

Sacrae. — IX, X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, L, LXI, LXII, LXIV, LXVI, XCI.

Honorariae. — I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, XX, XXI, XXII, XXIII, LX, LXXXVI, LXXXVII, LXXXIX, XCVI.

Historicae. — LI, LII, LIII, LIV, LV, LVI, LVII, LVIII, LIX, LXXI, LXXII, LXXIII, LXXVII, LXXX, LXXXV, LXXXVIII, XC, XCIV, XCV.

Funebres. — XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX, LXIX, LXX, LXXIV, LXXV, LXXVI, LXXVIII, LXXIX, XCII, XCIII.

Poeticae. — LXIII, LXV, LXVII, LXVIII, LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV.

Menda quae invitis exciderunt				Hic corrigimus:
LIBER PRIMUS.				
Pag. 11.	*lin.*	15.	Squallerent	Squalerent
» 25.	»	14.	Cappodocum	Cappadocum
» 26.	»	8.	Caldaeorum	Chaldaeorum
» 64.	»	29.	martirem	martyrem
» 82.	»	31.	Constant	Coustant
» 155.	»	14.	ungarici	Hungarici

Incidunt et alia quaedam aliis in locis menda, sed ejusmodi, quae moram in legendo nullam afferre possint.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Larco Ord. Praed.

S. P. A. MAGISTRI SOCIUS.

IMPRIMATUR.

Fr. Antonius Ligi Ord. Min. Conv.

VICESGERENS.

ROMAE.
EX OFFICINA LIBRARIA CAIETANI A. BERTINELLI.
MDCCCLVII.